






M. TULLII CICERONIS
IN
PHILOSOPHIAM EJUSQUE PARTES MERITA

AUCTORE

RAPHAELE KUEHNER Dr.

SAXO - GOTHANO.

Μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν.

PLATO.

COMMENTATIO REGIO PRAEMIO ORNATA.

HAMBURGI

SUMTIBUS FRIDERICI PERTHES.

MDCCCXXV.



PATRI OPTIMO

CHRISTIANO KUEHNER

DUCI SAXO - GOTHANORUM A CONSILIIS AULICIS

ATQUE LIBERALIUM ARTIUM PROFESSORI

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIETATIS GRATIQUE ANIMI TESTES

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Παιδὶ γὰρ κλέος τόδε
Κάλλιστον, ὅστις ἐκ πατρὸς χρηστοῦ γεγὼς,
Εἰς ταυτὸν ἦλθε τοῖς τεκοῦσι τοὺς τροπούς.

EURIPIDES.

ARGUMENTUM

COMMENTATIONIS

DE

QUAESTIONE AB AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHICO PROPOSITA:

AN ET QUOMODO M. T. CICERO DE PHILOSOPHIA EJUSQUE PARTIBUS BENE MERITUS SIT.

Pars prima.

DE STATU PHILOSOPHIAE APUD ROMANOS ANTE CICERONEM.

Cap. I.

CAP. II. Pag.

CAP. III.

CAP. IV.

PARS ALTERA.

DE CICERONIS VITA, SCRIPTIS ET PHILOSOPHIA UNIVERSE.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. III.

Cap. IV.

Cap. V.

Cap. VI.

Pars tertia.

DE DIALECTICA.

Pars quarta.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

CAP. VIII.



PARS QUINTA.

DE CICERONIS PHILOSOPHIA MORALI.

EXORDIUM.

I.

Antiquitas, uti rerum gestarum gloria ac majestate animum nostrum advertit rapitque: ita admirabilia atque divina ingenia protulit, quorum monumenta non solum temporibus illis, quibus litterarum lumen quasi extinctum erat, atque omnia densissimis ignorantiae tenebris sepulta atque obruta jacebant, coruscantium siderum instar divinitus veluti exorta crassam istam ignorantiae superstitionisque caliginem salutari quodam fulgore dispulerunt, et viam ad verum ingenii cultum humanitatemque monstraverunt; verum etiam nostris temporibus, in omnium artium litterarumque splendore, tanquam aeterna exemplaria extant, quae admiramur atque aemulamur. Quae quidem magna ingenia si penitus cognoscere atque rite dijudicare volumus, hoc potissimum diligenter videtur

tenendum, ut antiquitatem toto pectore complectentes, in illorum monumentis perscrutandis, menteque nostra concipiendis totos nos collocemus. Enimvero, si praeclaris illis monumentis ita nos damus, ut animus noster, antiquitatis ingenio percussus atque ejus quasi quadam divinitate afflatus, ipse quodammodo antiquus fieri videatur, non solum humanissima animus noster perfundetur voluptate, verum etiam justissimum de illis rectissimumque ferre poterimus judicium.

Ac mihi quidem, de Ciceronis in philosophiam ejusque singulas partes meritis exponere instituenti, hoc maxime faciundum esse putavi, ut Ciceronis scripta, inprimis philosophica, accuratissima lectione, indagatis simul atque comparatis, quantum a me fieri potuit, quibus Cicero usus est fontibus, pervestigarem, atque me in ejus rationem orationemque penitus insinuarem. Qua quidem inita ratione facillime a me effici posse arbitratus sum, ut et viri illius, in paucis mortalium magni, quasi quaedam ingenii imago adumbrata exhiberetur, et, quid ei tanquam proprium ac suum esset tribuendum, quid ex aliis sumtum ab eoque in usum suum conversum aut ulterius pertractatum, quid denique romana gens, quid sequentium aetatum populi illius ingenio atque industriae deberent, in clara collocaretur luce.

Verissima Quintiliani [1]) verba: *Modeste tamen et circumspecto judicio de tantis viris pronunciandum est, ne, quod plerisque accidit, damnent, quae non intelligant*, haec, inquam, verba, quae semper in hac commentatione animo meo obversabantur, non solum in judicio de Cicerone faciendo, verum etiam in dijudicandis iis, quae a doctissimis viris, qui Ciceronis philosophiae ejusdemque de ea scriptis illustrandis operam suam dicavere, erant disputata, sequutus sum, atque eo studiosius sequenda mihi duxi, quod ego, in juvenili constitutus aetate, quam sola modestia decet, primum in hunc philosophiae campum exspatiatus sum, atque multa quum aliorum virorum doctorum studiis, tum vero inprimis egregiae egregiorum praeceptorum, qui mihi pulcherrimo divinae providentiae munere contigerunt, institutioni atque informationi accepta refero.

Difficultates autem, quibus proposita quaestio obstructa est, quamquam permagnas illas quidem esse, praeclare intellexi, viriumque mearum exiguitatem longe longeque exsuperare: arduum tamen hunc laborem suscipere haud dubitavi, non tam eo quidem consilio, ut alios docerem, quam ut in philosophia,

---

1) Institt. X, 1.

cujus addiscendae insatiabilis quaedam, simulatque illam primoribus labris degustaveram, cepit cupiditas, vires meas quantulascunque periclitarer, et interiorem quandam praestantissimorum Ciceronis scriptorum mihi pararem cognitionem.

Haec igitur sunt, quae de hoc meo juvenili conamine praemonenda duxi: quod quidem si aliquam certe virorum doctorum approbationem reportasse intellexero, in sinu gaudebo.

II. CONSTITUTIO TOTIUS QUAESTIONIS.

Antequam ad pertractandam ipsam quaestionem progrediamur, primum, ut ratione et via procedat oratio nostra, placet constituere, quomodò haec disputatio describenda atque dividenda nobis visa sit. Circumspicientibus vero nobis, quae tandem optima esset hanc quaestionem pertractandi ratio, maxime consentaneum visum est, quinque eam absolvere partibus. Primum enim exponendum erit, qualis apud Romanos ante Ciceronem fuerit philosophiae status, ut, quid philosophia apud illos per Ciceronem profecerit, clarius perspici possit. His expositis, ad ipsum Ciceronem transgrediemur: in qua disputationis parte primum ejus vita, quatenus ad hujus quaestionis finem spectat, paucis complectenda, deinde vero ejus philosophandi ratio universe illustranda, denique

fontium ex quibus Cicero hausit brevis disquisitio addenda erit. Sequentes disputationis partes philosophi nostri sententiam de dialectica, physica et ethica [1]) continebunt. Toti denique disputationi finem imponet epilogus, in quo singula Ciceronis in philosophiam merita, quae superioribus disputationis partibus diligentius investigata uberiusque explanata erant, brevissime enumerabuntur, ita quidem, ut uno oculorum obtutu conspici possint.

---

1) Haec est veterum philosophiae divisio. Cic. Fin. IV. 2. ubi v. Davis. V. 4. 24 sq. Acad. I, 5. de Orat. I. 15. de Legg. I. 23. V. J. R. Thorbecke in dissert. philos. in Annal. Academ. Lugd.-Bat. anni 1818. p. 13. qui laudat Diog. Laert. prooem. 18. et Senec. ep. 88.

Pars prima.

DE STATU PHILOSOPHIAE APUD ROMANOS ANTE CICERONEM.

Caput primum.

I. DE LITTERARUM STUDIO APUD ROMANOS UNIVERSE.

Romani, qui rerum gestarum magnitudine immortalem sibi pepererunt gloriam, haud parem in artibus atque litteris adepti sunt famam. Etenim Roma, a rudi ac feroci et undecunque collecta hominum turba condita, et a bellicosis potentibusque populis, qui crescentem novae civitatis potentiam infringere studebant, circumdata et quasi circumsessa erat. Hinc factum, ut gens romana, a primis civitatis initiis continuis occupata bellis, omnem gloriae magnitudinem in armis atque virium robore sitam esse sibi persuaderet. Splendidae quas de alienis nationibus reportabant victoriae magnos iis spiritus attulerunt, et invictam quandam fiduciam in suis viribus positam inspiraverunt. Principes atque nobiles, qui civitatis gubernaculum tenebant, omnes suas cogitationes ac

curas in sola militiae et rerum publicarum scientia, et in augenda imperii amplitudine collocabant. Gloriae cupiditate utilitatisque studio ducti, et metu, ne otio lasciviret plebs, agitati enixe omnia faciebant, ut Romani nunquam fere a belli laboribus requiescerent. Itaque fieri non potuit, quin brevi tempore omnes paene Italiae populos subigerent atque perdomarent. Sed, uti nomen romanum armis ac rerum gestarum splendore longe lateque propagabatur, ita artium litterarumque studium in neglectu jacebat. Devicta Italia, non intra hujus terrae fines se continebant; sed insatiabili quadam imperandi cupiditate instigati, etiam ultra mare Siciliam, tum Graeciam, Asiam et Africam bello petiverunt, et, his quoque terris post multa atrocia proelia in suam ditionem redactis, Romanum imperium ad summum magnitudinis fastigium evexerunt [1]).

Jam vero, si ad Romanorum ingenii cultum respicimus, negari quidem non potest, eos, arctiore cum Graecis contracta cognitione, ad bonarum artium studium animum appulisse; nunquam tamen verus atque integer ille qui graecum populum nobilitavit litterarum amor apud Romanos vigebat. Graecorum

1) Cf. quae eleganter disputavit Tiedemann. *Geist der spekulat. Philos.* T. III. p. 8 sqq.

exemplo excitati praeclara illorum scripta, tanquam exemplaria, imitanda sibi sumserunt; sed nativa illa indoles, rapidior mentis velocitas et juvenilis vigor, qui in graecis scriptoribus ubique elucet, in latinis haud parum desideratur [2]). At Romanorum contra ingenium severitate, gravitate atque majestate, quae civitatis conformatione mirifice augebatur, egregie explendescit. Itaque tres potissimum doctrinae, quippe quae maxime ad illorum vitae institutionem pertinebant, laetissima apud eos ceperunt incrementa, legislatio, eloquentia, et historia [3]).

Caput secundum.

II. DE PHILOSOPHIAE STATU APUD ROMANOS ANTE CICERONEM.

Quae de studio litterarum apud Romanos omnino a nobis dicta sunt, eadem dicenda sunt de studio

---

2) Quod Cicero Tusc. Qu. I, 1. dixit, suum semper fuisse judicium, omnia Romanos aut invenisse per se sapientius, quam Graecos; aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent, hoc nimio patriae amore obcaecatus, et fortasse eo consilio, ut Romanorum animos ad litterarum studium persequendum exhortaretur, protulisse videtur. Cf. de Orat. I. 4.

3) Cf. Herderi *Ideen zur Gesch. d. M.* T. V. p. 287 sq. et F. G. van Lynden. de Panaetio Rhodio. Lugd. Bat. 1802. pag. 28 sq.

philosophiae, quod diu apud eos neglectum jacuit. Prisci Romani, viri boni, hanc amplissimam omnium artium bene vivendi disciplinam, sine ulla doctrina a natura ipsa bene instituti, vita magis quam litteris persequuti sunt [4]). Itaque philosophiae nulla fere erant aut pauca admodum latina monumenta: sive propter magnitudinem rerum occupationemque hominum, sive etiam, quod imperitis ea probari posse non arbitrabantur [5]).

Serius demum Romani philosophiae amore capiebantur, tempore illo, quo celeberrimi illi Graeci, Carneades, Critolaus et Diogenes, primi qui Romanis innotuerunt philosophi, ab Atheniensibus Romam missi sunt [6]). Atheniensibus enim (Olymp. CLVI, 1.) ob Oropum, Boeotiae urbem, devastatam, auctoritate Romanorum a Sicyoniis multa talentum fere quingentum imponebatur: quae quum civitati gravissima

4) Cf. Cic. Fin. III, 3. Tusc. Qu. I, 1. Livii praefat. Polyb. VI, 9.

5) Uti judicat Cic. Tusc. Qu. IV. 3.

6) Plura de hac legatione suppeditabunt Plut. vit. Caton. p. 347. Ael. V. H. III, 17. Macrobius Sat. I, 5. Plin. H. N. VII, 30. Gell. N. A. VII, 14. Quintil. Institt. XII. 1. Lactant. V. c. 14. Pausan. VII. p. 216 sqq. Cic. de Orat. II, 37. Tusc. IV, 3. Ac. Qu. II, 45. ad Attic. XII, 24. ex recentioribus Baylius dict. hist. critique, s. v. Carnead. not. F., Brucker. hist. ph. T. I. p. 765., Lynden. de Panaetio Rhodio p. 30. alii.

esset, ad romanum senatum miserunt tres illos legatos, admirabili eloquentiae et sapientiae laude florentes, qui, uti multa remitteretur, impetrarent. Legati non solum id, cujus caussa missi erant, consecuti sunt, verum etiam egregia dicendi facultate doctrinaeque copia atque ubertate miram quandam sibi comparaverunt gloriam, in Romanorum vero animis graecarum doctrinarum sapientiaeque amorem excitaverunt. Etenim per illud tempus, quo Romae commorabantur, et in senatu caussam suam exquisitissima dicebant eloquentia, et privatim per celeberrima urbis loca magno hominum conventu disserebant. Fuit facundia Carneades, Academicus, violenta et rapida, scita et tereti Critolaus, Peripateticus, modesta et sobria Diogenes, Stoicus. Apprime splendida academici philosophi eloquentia ac disserendi vis tantam in generosiorum adolescentum animos exserebat vim, ut, relictis omnibus rebus, totum diem in addiscenda philosophia et eloquentia apud eum consumerent. At enimvero Marcus Porcius Cato, severus ille senex, pristinae Romanorum disciplinae innutritus, metuens, ne juventus flagranti illo litterarum ardore a veteris disciplinae severitate, quam militaris reipublicae conditio necessario flagitaret, degenerarent, et, graecanica infecti doctrina, ingenii magis cultui, quam strenuis factis operam darent, rem ad senatum detu-

lit, ut legati domum remitterentur, juvenes vero romani ad patrias leges majorumque instituta observanda redirent. Decretum igitur est a senatu, ne quisquam graecorum philosophorum Romae amplius commoraretur. Sed quamquam triumviri illi dimissi erant, et quantumvis Catonis aliorumque senum austeritas litterarum lumen, quod illorum facundia sapientiaque accensum erat, exstinguere, et juvenum flagrantem graecam doctrinam percipiendi amorem reprimere satagebant: tamen semina in eorum ingeniis dispersa erant, quae posthac egregie effloruerunt.

III.

Verum enim vero Carthagine, Numantia, Corintho, florentissimis urbibus, eversis atque deletis, Asiae minoris maxima parte in Romanorum ditionem redacta, regno macedonico cum Perse diruto, Graecia ipsa, omnium doctrinarum artiumque laudatarum procreatrice et quasi parente, devicta et in provinciae formam redacta [7]), Romani ab omni exterorum hostium metu liberi atque vacui erant: immensae divitiae et opes ex terris expugnatis Romae confluxerant, et una cum iis luxuria ac magnificentia ingruerant. Pristinae Romanorum virtutes, pietas, fides, constan-

7) V. Tiedemann *Geist der spekulat. Phil.* T. III. p. 37 sqq.

tia, justitia oppressae et quasi sepultae videbantur. Vitiorum atque scelerum omnia genera, tanquam pestis, Romam invadebant et civium animos corrumpebant. Sed eodem tempore, omnium rerum facie conversa, magna quoque litterarum commutatio consequuta est. Romani enim, arctius cum Graecis conjuncti, litterarum suavitatem et dulcedinem percipere ab iis discebant. Huc accedebat, quod principes romani, gloriae cupiditate agitati, uti maximam sibi gloriam armis pepererant, ita in litteris quoque excellere atque Graecorum doctrinas Romam transferre studuerunt, hominemque ingenuum et liberaliter educatum bonis artibus imbutum esse debere, putaverunt. Generosiores Romani, in quibus nondum omnis excelsitatis sensus extinctus erat, quum otio abundarent, desiderio quodam, rebus cognoscendis ingeniique dotibus excolendis se dandi, agitabantur. Quae quum ita essent, omnium fere disciplinarum philosophi Romam commigraverunt, atque ibi, summa illustrissimorum virorum perfruentes dignitate, in eorum domibus sedem suam fixerunt. Inprimis Panaetius [8]), homo

8) Panaetius Stoicorum tristitiam et asperitatem fugiens, nec acerbitatem sententiarum, nec disserendi spinas probavit: fuitque in altero genere mitior, in altero illustrior, semperque habuit in ore Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Dicaearchum, ut ipsius scripta

gravissimus, qui Stoicae quidem disciplinae deditus erat, sed etiam Platonem admirans, illius scholae austeritatem leniverat, quum summa atque intima procerum romanorum gauderet familiaritate, philosophiae studium inter nobiles atque illustres viros propagavit. Scipiones, Laelii, Tuberones, Scaevolae, Furii [9]) ad philosophiam animum appulerunt, et secum habuerunt graecos philosophos. Magni illi Romani quamquam philosophiam nunquam professi fuerint; tamen, quum ad illorum naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, praeclarum quiddam ac singulare extitit [1]). — Eodem fere tempore Sylla [2]), Athenis occupatis direptisque, Apelliconis Teji bibliothecam, in qua pleraque Aristotelis et Theophrasti scripta conservabantur, Romam perferri jussit. Tyrannio, grammaticus [3]), quem Sylla e Graecia secum duxerat, huic bibliothecae praefectus, multos codices descripsit; Andronicus vero, Rhodius,

---

declarant. Cic. Fin. IV, 28. — Cf. Meiners *allgem. krit. Gesch. d. Ethik.* T. I. p. 180 sq. Stäudlin, senex venerabilis, *Moralgesch.* p. 256 sq. Lynden de Panaetio Rhodio. p. 59. et 86 sqq.

9) Scipio African. Minor. Vellej. Paterc. I. c. 13. Cic. Fin. IV. 9, 23. Gell. XVII. 21. Cic. Fin. II. 8.

1) Cic. pro Arch. c. VII.

2) Brucker. l. c. p. 18.

3) Brucker. l. c. p. 19. not. c).

peripateticae philosophiae deditus, Aristotelis et Theophrasti libros, temporis injuria misere mutilatos, illustravit, ex ingenio supplevit, et novo ordine digestos edidit. — Verum inter eos, qui ante Ciceronem de philosophia inter Romanos pervulganda meruerunt, maxime insignis est Lucullus: qui primum quaestor in Macedonia, tum in bello mithridatico graecorum philosophorum consuetudine usus, toto pectore in hoc studium incumbebat. Romam reversus nihil non fecit, ut philosophia celebraretur [4]). Quo quidem consilio, magna librorum copia coemta, magnificentissimam exstruxit bibliothecam, in qua Musarum sede et ipse et alii Romani et Graeci totos dies disputando consumebant.

Caput tertium.

IV. DE SINGULIS PHILOSOPHIAE DISCIPLINIS, QUAE ROMAE FLORUERUNT.

Posteaquam de origine atque progressu philosophiae apud Romanos exposuimus, jam, uti res clariore illustretur luce, de singulis philosophiae disciplinis, quae Romae floruerunt, et qui ex Romanis se iis dederint, paucis nobis erit expediendum. Quin-

---

4) Cicero Lucull. c. IV.

que potissimum disciplinae apud eos viguerunt, pythagorea, academica, stoica, peripatetica et epicurea, de quibus deinceps disputabimus.

V. DE PYTHAGOREA DISCIPLINA.

Pythagorae philosophia apud Romanos inculta fere mansit [5]). Cujus rei caussae sponte apparent; primum enim haec disciplina posteaquam aliquot saecula in Italia Siciliaque viguerat, extincta erat quodammodo: tum perpauca restabant, unde haec philosophia hauriri potuit: denique ejus decreta obscuritate laborabant. Primus, qui pythagoream sapientiam ex Italia inferiore Romam traduxit, erat Ennius, latinae poeseos pater, cujus Epicharmus et Euemerus arctam cum graecis litteris et philosophia cognitionem arguunt. Etiam Publius Nigidius Figulus, unus suae memoriae quum doctrinae copia, tum inprimis matheseos et astrologiae studio clarissimus [6]), et Vatinius [7]) ad hanc philosophiam animum appulerunt: quorum ille multas quidem philosophicas disputationes

---

5) Tennemann *Gesch. d. Phil.* V. p. 195 sqq.

6) Cicer. de univers. c. I. Gell. X, 11. XI, 1. Macrob. Sat. VI, 8. V. Brucker. hist. ph. T. II. p. 25.

7) Cic. in Vatin. 6. Suet. Aug. 94. Lucan. Phars. I, 639. Apulej. orat. Meg. p. 47. T. II. Bip. V. Ast. *Grundriſs der Philologie.* p. 513.

conscripsit [8]), sed ob scribendi obscuritatem rerumque subtilitatem mox illae evanuerunt.

VI. DE PLATONICA PHILOSOPHIA.

Academia vetus, cujus auctor est Plato, studio Antiochi, Ascalonitae, magna eloquentiae laude florentis, qui, quum Stoicos et Platonicos verbis magis quam re discrepare diceret, utramque scholam in concordiam redigere conatus est, magnam adepta est auctoritatem. Lucullus uti aliarum disciplinarum doctrina imbutus erat, ita mirifice amplexatus est Academiam. Hinc est, quod Cicero in academicis quaestionibus eum hujus scholae rationem defendentem induxerit. Magno quoque studio Academiam colebat Brutus, vir excellens omni genere laudis, qui, omnibus fere qui tum florebant graecis philosophis auditis, omnibusque fere disciplinis cognitis, etiam litteris latinis philosophiam persequutus est. Scripsit enim de virtute et de officiis [9]). Inter eos

8) Gell. XIX. c. 14.

9) Quod Cicero Ac. Qu. I, c. 3. "Brutus — phil. latinis litteris persequitur, nihil ut iisdem de rebus a Graecis desideres," dicit, id pari modo, uti jam supra monuimus, aut nimio patriae amore, aut Romanos ad phil. exhortandi studio ductus, pronunciasse videri debet. Ceterum de Bruto ejusque scriptis cf. Cic. Tusc. V. 1. Fin. I, 3. Senec. consol. ad Helviam c. 9. ep. 95. Davis. ad Tusc. V, 1. et 8. Bayle dict. hist. crit. s. v. Brutus. Brucker. hist. ph. T. II. p. 29 sq.

porro, qui veteri Academiae operam dabant, insignis est M. Terentius Varro, homo suae memoriae omnium longe doctissimus [1]), qui, quamquam elegantioribus litteris plurimum temporis atque operae impendebat, miro tamen studio et amore platonicam philosophiam sectatus est. Multa quidem in hac disciplina scripta inchoavit, sed non satis elaboravit [2]). Denique haud praetereundus est M. Piso, qui Staseam Neapolitanum, Peripateticum, multos annos habuit apud se et complures menses Antiochum audivit [3]). Eundem Cicero in quinto libro de Finibus Bonorum et Malorum ex academicae et peripateticae disciplinae sententia de hoc argumento disputantem induxit.

VII. DE ACADEMIA MEDIA.

Academiam mediam studiosissime amplectebantur Romani, inprimis propterea, quod hujus scholae in utramque partem disputandi ratio optimam iis facillimamque ad eloquentiae laudem atque adeo ad summas in republica dignitates adipiscendas munire videbatur viam. Tum vero etiam philosophorum dissensio atque inter se concertatio acrioris ingenii Romanos

1) Cic. ad Attic. XIII. ep. 32. Gell. N. A. III. 10.
2) Cic. Ac. Qu. I, 3. August. C. D. XII. 4. XIX. 1. Brucker. l. c. p. 32 sq.
3) Cic. Brut. 64. 66.

ad hanc potissimum philosophandi rationem, quae nihil certi statuit, sed de omnibus dubitat, pellexisse videtur. Multum etiam ad hanc philosophiam inter Romanos celebrandam contulit Philo e Larissa, qui bello mithridatico, quum Graecia et Athenae misere diriperentur, Romam fugit, ubi et aliis illustribus viris, et vero etiam Ciceroni, juveni adhuc, philosophiam tradidit, et admirabili eloquentia sapientiaque, cum morum elegantia conjuncta, multos nactus est admiratores. Ad summum tamen auctoritatis splendorisque fastigium hanc philosophiam evexit ingenium atque studium M. Tullii Ciceronis, cujus philosophandi ratio, quum tota haec disputatio de eo instituta sit, infra uberius exponenda erit.

VIII. DE STOICA DISCIPLINA.

Stoicam disciplinam Romani, qui pristinam illam morum severitatem, gravitatem atque ingenii altitudinem retinere, et rempublicam praeclare et honeste gerere studebant, mirifico quodam amore studioque amplexi sunt. Mascula vis hujus philosophiae magnificentiaque ethicae stoicae egregie cum magno Romanorum illorum ingenio atque indole conspirabat, eorumque animos ad rempublicam capessendam praeparabat. Hinc factum, ut inprimis multi juris consulti hanc disciplinam colerent, et jurisprudentiam cum

morali Stoae doctrina, quae cum de moribus hominum formandis deque officiorum doctrina accuratissime ageret, ad civitatem regundam moderandamque et ad jus dicendum aptissima videri debebat, consociare studerent. Ita Q. Mucius Scaevola, stoica philosophia adhibita, rudem indigestamque legum, edictorumque molem in artis quandam formam redigere conatus est [4]. Servius Sulpicius Rufus, qui primus ad romani juris scientiam bonarum rerum disciplinas adhibuit, longe omnium non suae modo aetatis, sed eorum etiam, qui fuerunt, in jure civili princeps esse judicatur a Cicerone [5]. Ille enim dialecticam artem, quasi lucem ad ea, quae confuse ab aliis aut respondebantur aut agebantur, adjunxit. Eandem viam in juris scientia etiam Tubero ingressus est. Ex hac instituta ratione magna sane quam nostris quoque temporibus admiramur subtilitas, ratio, acumen elegantiaque [6], in romanorum jurisconsultorum libros fluxisse videtur. — Inprimis Panaetii studium magnam

---

4) Pompon. Fr. 2. §. 41. D. 1. 2. V. Hugo, vir summe venerabilis, *Röm. Rechtsgesch.* p. 626 sq.

5) Cicer. Brut. c. 41. Hugo l. c. p. 630 sq. De hoc aliisque celeberrimis jurisconsultis cf. quae a Beiero, V., Cel., ad Cic. Off. I. c. 6. p. 43. excitata sunt loca.

6) V. Hugo l. c. p. 605 sq. et quae laudavit Leibnitii verba pag. 608.

stoicae philosophiae apud Romanos existimationem atque dignitatem addidit. P. Cornelius Scipio Africanus, qui in Sicilia graecis litteris navavit [7]), Panaetium secum habuit, et studiose ab eo philosophiam didicit. Hujus exemplum sequuti sunt C. Laelius et L. Furius [8]). Illustribus vitae actionibus atque ipsa generosa morte stoicam virtutem expressit Cato minor, Uticensis, cujus animi indoles immobilis, austera atque excelsa ad hanc philosophiam facta quasi ac nata videbatur.

IX. DF PERIPATETICA PHILOSOPHIA.

Peripatetica philosophia, Apelliconis Teji bibliotheca, uti supra monuimus, Romam perlata, haud magno a Romanis studio colebatur. Aristotelis enim libri obscuriores atque subtiliores erant, quam ut Romanorum qui omnia ad vitam referebant indoli placere possent. Nec tamen defuere inter Romanos, qui hanc philosophiam sequerentur. Inter eos nominandus est M. Crassus, qui Alexandro Antiocheno, philosopho peripatetico, et doctore et amico usus est. Apud M. Catonem Demetrius, eidem scholae deditus, et apud M. Pisonem Staseas, cujus supra mentionem

7) Liv. XXIX, 19. cf. supra §. III.

8) Cic. Tusc. Qu. IV, 3. Fin. IV, 9. et 28. Ac. Qu. II, 23. Divin. I, 4. N. D. II, 46.

injecimus, erat [9]). Cratippus, quem Cicero Peripateticorum omnium, quos ipse audierit [1]), facile principem immo omnium ejus aetatis philosophorum judicat, primum Athenis, ubi ejus institutioni Ciceronis filius aliorumque summorum Romanorum filii commissi erant, summa auctoritate peripateticam philosophiam tradidit, tum Romae apud nobilissimos viros in maximo honore habitus est.

X. DE EPICUREA PHILOSOPHIA.

Epicurea denique disciplina multis illustrissimis viris placuit, veluti Attico, Cassio, L. Torquato, C. Vellejo, C. Trebatio, L. Papirio Paeto, L. Pisoni, aliis. Haec enim cognitu satis facilis erat atque illecebris blandis voluptatis invitabat, et iis maxime grata, qui a republica remoti [2]), magis sibi vivebant, et corporis vel animi voluptatibus frui, quam vitam negotiosam transigere malebant [3]). Multi enim Romani, turbulentis illis Syllae temporibus, quae reipublicae fundamenta labefactare videbantur, ab civitatis administratione abhorrentes, lubenter in hac philosophia

9) Cic. de Orat. I, 22.
1) Cic. off. I, 1.
2) Cf. Meiners *verm. phil. Schrift.* T. I. p. 86.
3) Cic. Fin. I, 7. Tusc. Qu. IV, 5. Sen. ep. 21. Tennem. *Gesch. d. Ph.* V. p. 131 sqq.

acquiescebant. Hinc epicurei philosophi, veluti Patro, Philodemius Gadarensis, Syron, inter principes Romanos patronos atque fautores adepti sunt [4]). Ceterum epicurei philosophi primi fuerunt, qui suam disciplinam latinis litteris illustrarunt; sed eorum scripta omni sermonis elegantia disserendique subtilitate destituta erant [5]). E quorum tamen numero eximendus est T. Lucretius Carus, Romanus, qui elegantissimo carmine de rerum natura ex Epicuri sententia exposuit.

Caput quartum.

ANIMADVERSIONES QUAEDAM DE PHILOSOPHIAE STUDIO APUD ROMANOS.

XI.

Jam vero, etsi primo oculorum obtutu philosophiae studium apud Romanos ad satis laetam segetem

4) Brucker. hist. ph. T. II. p. 67.

5) Cic. Tusc. IV, 3. Cum interim illis silentibus C. Amafinius extitit dicens; cujus libris editis commota multitudo contulit se ad candem potissimum disciplinam: five quod incitabantur illecebris blandis voluptatis; sive etiam quia nihil erat prolatum melius, illud, quod erat, tenebant. Post Amafinium autem multi ejusdem aemuli rationis multa cum scripsissent, Italiam totam occupaverunt: quodque maximum argumentum est non dici illa subtiliter, quod et facile ediscantur et ab indoctis probentur; id illi firmamentum esse disciplinae putant. cf. Fin. II, 14. Ac. Qu. I, 1. 2.

effloruisse videatur: tamen, si rem diligentius perpenderimus, non idem nobis judicium ferre licebit. Ac primum quidem, quod ubique fere factum est, ut philosophia ad novum populum perlata nova quoque caperet incrementa, Romae non factum est; nam neque ullam novam disciplinam Romani invenere; neque veteribus ullas gravioris momenti disquisitiones addiderunt; neque unquam Romae tales philosophicae scholae florebant, ac tale philosophiae studium vigebat, quale in omnibus fere populis reperiri solet, quibus praeclarissima haec scientia primum quasi illuxit. Quibusdam inter Romanos, teste Cicerone [6]), et iis quidem non admodum indoctis, totum hoc displicebat philosophari: quidam autem non id tam reprehendebant, si remissius ageretur; sed tantum studium tamque multam operam ponendam in eo non arbitrabantur. Multi etiam, graecis eruditi litteris, contemnentes latinas, se dicebant in graecis legendis operam malle consumere. Alii denique genus hoc scribendi, etsi sit elegans, personae tamen et dignitatis esse negabant. Hinc quoque factum, ut Cicero, jam senex, in omnibus fere philosophicis scriptis, quod nunc philosophiae potissimum studio sese dedisset, contra ejus contemtores et vituperatores sese

6) Fin. I, 1. Acad. Qu. I. 2. 3. Divin. I, 1.

defendere, neque hoc studium ingenuo Romano indignum esse, et bene cum rerum publicarum administratione conjungi posse, ostendere cogeretur. Omnino a perpaucis tantum Romanis, quippe quibus copia erat vel in Graeciam perigrinandi vel domi graecos philosophos secum habendi, colebatur: ad ceteros autem cives nihil fere ex uberrimo illo largissimoque philosophiae fonte redundabat. Omnes fere, qui huic studio operam dabant, id ad vitam et publicam et privatam melius instituendam adhibebant [7]). Eorum autem, qui vero animi impetu atque desiderio quodam ad philosophiam deferebantur, admodum exiguus erat numerus. Multi quoque ex more, qui tum invaluit, philosophiae studebant.

XII. CAUSSAE, CUR PHILOSOPHIA HAUD MULTUM PROFECERIT APUD ROMANOS.

Quod si igitur quaerimus, quid fuerit, quod, quum eo ipso tempore, quo philosophia apud Romanos adolevit atque effloruit, Roma viris, ingenii animique excellentissimis ornatis virtutibus, multisque instructis doctrinis, afflueret, philosophia apud Romanos neque admodum culta esset, nec nova caperet incrementa: haec potissimum tenenda videntur.

---

7) Cf. Herderi *Ideen z. G. d. M.* T. V. p. 293 sq.

XIII.

Primum, si tempora respicimus, nunquam sane ea philosophiae studio admodum favebant. Jam inde a primis civitatis initiis Romani continuis bellis, quae cum vicinis populis gerere cogebantur, ita instituti erant, ut omnem laudem gloriamque in militaribus rebus et in reipublicae administratione collocarent: quae quidem via sequentibus quoque temporibus ad summam in civitate auctoritatem adipiscendam unica atque certissima erat. Quum vero ex devictis terris immensae ad Romanos redundarent divitiae, magis magisque in eorum animis belli desiderium auctum est. Quid igitur mirum, quum Romani omnes suas cogitationes in bello et militari arte defixas haberent, parum apud hunc ferocem populum litteras atque artes profecisse [8])? Jam vero Carthagine deleta, Macedonia expugnata, Achaeorum foedere soluto, Corintho eversa et Achaja in provinciae formam redacta, saevire Fortuna ac miscere omnia coepit [9]). Ingentes opes et cum iis luxuria ac magnificentia, libidines et quaeque scelerum genera civium animos pessumdabant. His quidem temporibus, in hac rerum atque otii

---

8) Cf. Tiedemann *Geist der spekulat. Phil.* T. III. init. Tennemann *Gesch. d. Ph.* T. V. p. 104 sqq. Herders *Ideen z. Gesch. d. M.* T. V. p. 243 sqq.

9) Sall. Catil. c. X. cf. XI - XIV.

affluentia, uti in deterioris ingenii hominibus luxuriae voluptatumque cupido excitabatur, ita in excelsioribus animis magnum quoddam mentis doctrinis excolendae exoriebatur desiderium [1]). Itaque eo tempore, quo philosophia efflorescere coepit, et Romanorum animi ad hoc studium persequendum satis exculti videbantur, antiquus rerum publicarum status populique ingenium commutatum plane erat atque conversum.

XIV.

Tum ad rationem, qua romana respublica administrabatur, et ad finem in ea propositum, qui non solum publica instituta, verum etiam singulorum civium actiones moderabatur, diligenter animus est advertendus. — Gens romana, unice bello et reipublicae gubernatione occupata, omnem ingenii cultum in civitatis regundae scientia et in arte militari perdiscenda collocabat. Ab urbis primordiis hoc Romanis innutritum atque instillatum erat studium, ut omnia utilitate, quae in vitam publicam redundaret, metirentur [2]). Ex bellis feliciter gestis animum bellicosissimum superbosque spiritus sumserant, ita ut se super omnes alias gentes atque nationes longe

1) Tiedemann l. c. p. 38.
2) Cic. Tusc. Disp. I. 2.

elatos putarent. Negari quidem non potest, istam romanae reipublicae politiam in caussa fuisse, ut philosophiae studium a multis coleretur et in haud exiguo haberetur pretio: at ea ipsa quoque effecit, ut Romani ad philosophiam non integro quodam amore deferrentur, sed ea tantum, tanquam instrumento, ad alia negotia uterentur [3]). Eloquentia enim arctissimo cum philosophia conjuncta erat vinculo [4]). Graeci autem philosophi, qui tum Romae florebant, omnes fere eloquentiae vi quam maxime pollentes, summos Romanos, qui in civitate cum dignitate versari cupiebant, facundia sua ad philosophiae studium rapiebant. Jurisprudentia porro, quae studiosissime colebatur a Romanis, multa e philosophia, in qua egregiae a graecis philosophis de rerum publicarum administratione consignatae erant sententiae, tanquam largissimo fonte hausit.

XV.

Deinde Romani philosophiam, egregie jam perfectam, acceperunt a Graecis. Hinc factum, ut ad eorum scripta praestantissima, tanquam exemplaria,

---

3) Cf. Tiedemann *Geist d. spekul. Phil.* T. III. p. 4. et 66. — Herderi *Ideen.* T. V. p. 246. Tennem. *Gesch. d. Phil.* T. V. p. 104.

4) Cicero de Orat. I. 6. 2. Tiedemann l. c. p. 40 sq.

omne imitandi studium dirigerent atque componerent. Ubi autem litterae, diu jam et a maximis excultae ingeniis, alii populo traduntur, eas ad summam jam perfectionem absolutionemque adductas esse, opinio invalescere solet. Huc accedebat, quod philosophia, non animi quodam desiderio, sed externa cum Graecis conjunctione ad Romanos traducta erat. Jam vero lingua latina ad philosophicas notiones exprimendas adhuc rudis erat atque inculta. Romani igitur, qui philosophiae operam dabant, patrium sermonem fere negligebant, et graeca lingua ad philosophicas disquisitiones utebantur. Et vero ipsi graeci philosophi, qui Romae commorabantur, nihil aliud fecerunt, quam ut veteres disciplinas explicarent, confirmarent, et ulterius excolerent, vel etiam diversarum scholarum decreta inter se conciliare studerent. Novas autem scholas nullas condiderunt. Miramurne igitur, Romanos, Graecorum discipulos, se novi quicquam esse in philosophia inventuros, animum despondisse [5])?

Porro Romani, qui philosophiae operam dabant, plerique erant viri summae dignitatis, qui belli pacisque artibus et rerum gestarum gloria immortale sibi

5) Cf. Tennem. *Gesch. d. Phil.* T. V. p. 106. et 108. — Tiedem. *Geist d. spekul. Phil.* T. III. p. 4.

comparare studebant nomen. Qui viri quamquam iis ingenii facultatibus instructi erant, ut in philosophia propria, quod dicitur, Marte excolenda vires suas periclitari potuissent; tamen negotiosa quam agebant vita impediebantur, quo minus tantum in hoc studium impenderent otii, quantum ad novas in eo disquisitiones instituendas necessario requiritur. Multi quoque eo tantum consilio philosophiae navabant, ut hoc studio vitam sibi pararent suaviorem. Vix unus alterve reperitur, qui, ceteris omnibus posthabitis, philosophiae sese dederit. Denique soli nobiles atque beati Romani philosophiam tanquam sibi propriam vindicaverant. Graeci enim philosophi, qui Romam sese contulerunt, in opulentorum aedibus delitescebant, ibique philosophiam tradebant. Nullae igitur Romae philosophicae scholae florebant, ad quas omnibus ad meliora discenda aditus patebat [6].

XVI.

Neque parum philosophiae studio apud Romanos obfuit, quod illud haud magno in honore habebatur ab iis. Nam *honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria; jacentque ea semper, quae apud quosque improbantur* [7]). Ubi artes atque lit-

6) Tiedemann l. c. T. III. p. 66. Brucker. hist. ph. T. II. p. 20.
7) Verba Ciceron. Tusc. I, 2.

terae non dignitate quadam atque existimatione gaudent; ibi nullum viget novitatis studium, nullum quod ex novis inventis exoritur gaudium humanissimum atque nobilissimum. Humana enim natura ita comparata est, ut, quae disquisiverimus atque invenerimus, ea cum aliis communicare cupiamus. Ubi vero artes non communi quodam studio coluntur, neque novis inventis pretium atque honos quidam statuitur: ingenium torpor, inertia atque secordia occupat, ejusque vires frangit et debilitat. In addiscendis iis doctrinis, quae jam paratae sunt, acquiescunt homines, nec facile arduum eas augendi locupletandique laborem suscipiunt [8]). — Multum quoque impedimenti philosophiae inter Romanos celebrandae attulisse videtur id, quod eam homines graeci tradebant; qui, etiamsi doctrinae eruditionisque laude florebant, ob animi tamen levitatem, quae Romanorum gravitati prorsus repugnabat, in contemtu quodam habebantur, neque adeo philosophiae studium horum animis facile insinuare poterant. —

Denique in exquirendis caussis, cur philosophia apud Romanos haud multum profecerit, diligentissima nobis habenda est ratio eorum ingenii atque indolis [9]).

---

8) Tiedem. l. c. T. III. init.
9) Herders *Ideen.* T. V. p. 286 sqq.

In Romanorum nimirum ingenio mirificam quandam miramur gravitatem atque majestatem; sed non eandem in eo deprehendimus mobilitatem atque agilitatem. Haec autem gravitas in subtiliores rerum notiones atque disquisitiones haud ita facile penetrare potuit; sed in illustribus atque claris vitae actionibus versari maluit. Itaque philosophiae operam dabant, non hujus scientiae divinae desiderio quodam agitati, sed quod intelligebant, multa ex ea ad vitae reique publicae conformationem peti posse praesidia.

XVII.

Haec igitur sunt, quae de philosophiae apud Romanos statu ante Cieeronem praemonenda nobis visa sunt: in quibus explicandis uberiores et prolixiores esse debuimus, quia ea non solum, quomodo Cicero de philosophia apud Romanos meritus sit, luculenter ostendunt, verum etiam nostrum de Ciceronis philosophia judicium moderabuntur. Vidimus igitur, parum adhuc in philosophia a Romanis profectum, et quae ab iis in hac disciplina relicta erant monumenta perpauca perque exigui fuisse pretii. Rebus igitur ita comparatis, extitit Cicero, atque philosophiam e Graecia traductam inter cives suos propagare apud se constituit. De cujus vita, quantum ad nostram disputationem spectat, postquam paucis expediverimus, in sequentibus qua poterimus maxima diligentia ejusdem philosophiam exponere ingrediemur.

Pars altera.

DE CICERONIS VITA, SCRIPTIS ET PHILOSOPHIA UNIVERSE.

Caput primum.
DE CICERONIS VITA [1]).

I.

Quae hominem ad summum laudis gloriaeque fastigium evehere possunt, largiter omnia in Ciceronem cumulateque a divina providentia collata videmus. Natus enim est ex antiquissima atque nobilissima gente [2]), optimisque et probissimis parentibus, in clarissima civitate, atque illis quidem temporibus, quibus respublica romana tum gloriae majestate imperiique magnitudine, tum morum integritate atque

1) De Ciceronis vita quum permulta sane eaque doctissime a viris eruditissimis disputata sint, paucis hoc loco defungemur, atque in iis tantum, quae ad rem nostram illustrandam plurimum habere videntur ponderis atque momenti, exponendis acquiescemus. — Natus est Cicero Arpini, municipio in Sabinis, anno DCXLVII U. C.

2) Legg. II, 1. vbi plura de sua gente atq. patria dixit. cf. Middlet. Life of Cicero. T. I. p. 2. T. IV. not. p. 5 sq. in Edit. Basil. 1790.

excellentissimis quibusque virtutibus florebat [3]). Recens adhuc praeclare a majoribus gestarum rerum memoria virtutum igniculos ac semina, in juvenis pectore abditá, eliciebat, cumque excelsarum rerum cogitationi quasi innutriebat. Litterarum autem artiumque studium hac aetate Romae efflorescere coepit. Jam vero ipse Cicero a natura ingenio instructus ornatusque erat longe praestantissimo. Jam in prima pueritia, quum eas artes, quibus haec aetas ad humanitatem informari solet, addisceret, ingenii scintilla ex illo ita eluxit, ut et laetissimam de se apud omnes excitaret spem, et miro discendi ardore atque velocitate summa omnes oppleret admiratione. Domi patris, qui, quum esset infirma valetudine, aetatem fere [4]) egit in litteris, disciplina atque imitatione eruditus, adolescens Romam se contulit: ubi ei optimis doctoribus uti contigit. Postea quidem luxuria atque alia vitia antiquam morum salubritatem corruperunt; at Cicero, cujus prima aetas in tempora illa incidit, quibus pristinus adhuc reipublicae status vigebat, antiquorum illorum temporum sanctitate percussus, majorum sibi semper proponens imagines, animum et mentem suam ipsa cogitatione hominum

---

3) Cf. Wyttenb. bibl. crit. Vol. I. p. 2. pag. 2.

4) Legg. II, 1. Middlet. l. c. p. 8.

excellentium conformavit [5]) et supra aetatis suae vitia longe sese extulit.

II.

Sed redeamus, unde degressi sumus. Igitur intelligentissimorum doctorum institutione Cicero jam puer usus est: in quorum numero erat Lucius Plotinus, homo eruditissimus [6]), et A. Licinius Archias, poeta, qui ei princeps et ad suscipiendam et ad ingrediendam rationem studiorum suorum extitit [7]). Quum enim apud Romanos in more positum esset, ut pueri atque juvenes studium a poetis auspicarentur; Cicero poesi strenuam navavit curam, et puer adhuc Pontium Glaucum versibus tetrametris composuit [8]). In philosophiae studio doctorem habuit Phaedrum, Epicureum, qui sibi, antequam Philonem cognovit, valde ut philosophus, postea tamen ut vir bonus et suavis et officiosus probabatur [9]). Anno aetatis XVI, sumta virili toga, a patre deductus est ad Scaevolam, augurem, principem et jurisconsultum,

---

5) Imitando expressi pulcherrimum locum in Cic. orat. pro Arch. c. VI.

6) Sueton. clar. rhet. c. 2.

7) Cicer. pro Arch. c. I.

8) Middleton. Life of Cicero. T. I. 11. T. IV. 8.

9) Cic. ad Divers. XIII. ep. 1.

et rerum civilium peritissimum virum, apud quem non solum juris civilis studio operam navabat, verum multa omnino ab eo prudenter disputata, multa etiam breviter et commode dicta memoriae mandabat. Quo mortuo, se contulit ad pontificem Scaevolam, virum unum suae aetatis et ingenio, et morum sanctitate et juris legumque peritia praestantissimum [1]). Oratores, qui tum principes numerabantur, quotidie fere in concionibus acerrimo studio audiens tenebatur, quotidieque et scribebat et legebat et commentabatur [2]). Eodem enim tempore Xenophontis Oeconomicum in latinam linguam convertit [3]), itemque Arati carmina de coelo stellisque, quorum fragmenta supersunt [4]), atque, uti verosimile est, nonnullos Platonis libros, e quibus adhuc restat fragmentum sub titulo: de Universitate [5]); scripsit quoque Marium seu carmen de rebus gestis Marii, cujus quosdam versus adhuc legimus in libro primo de Divinatione cap. XLVII. multumque denique temporis et operae in legendis vertendisque optimis Graeciae historicis consumsit.

---

1) Cic. Lael. c. I. Brut. c. 89. Middlet. T. I. p. 12.

2) Cic. Brut. c. 89. Quintil. Inst. or. I. 2. III, 1.

3) Cic. Offic. II. 24, 87. ubi cfr. Beier, V. Cel., p. 166.

4) Cic. N. D. II., 4.

5) Cf. Bruckeri *Fragen aus d. Gesch. d. Philos.* T. III. p. 90.

III.

Annum fere agens undevigesimum, cum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus mithridatico bello domo profugisset, Romamque venisset, totum se ei tradidit, admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus: in qua hoc etiam commorabatur attentius, quod, etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa eum delectatione retinebat, tamen sublata jam esse in perpetuum ratio judiciorum videbatur [6]). Eodem anno etiam Moloni Rhodio Romae dedit operam, et actori summo caussarum et magistro [7]). Philo autem verum Ciceroni et philosophiae omnino amorem, quem postea divina Platonis scripta mirifice auxerunt atque aluerunt, et inprimis vehementissimum Academiae mediae studium inspirasse videtur. Haec autem philosophia Ciceroni maximum promtissimumque paravit dicendi praesidium. Hinc est, quod glorietur, se oratorem non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis extitisse [8]). Ejus orationes, etiamsi nullum philoso-

---

6) Cic. Brut. c. 89. Plut. Vit. Ciceronis c. III.

7) Cic. Brut. c. 89. et 90.

8) Orat. c. III. cf. Tuscul. Disp. II, 3. V. Quintil. XII. 2. 25. et Cicero passim in Bruto et in praestantissimis de Oratore libris. Adde ejusdem Parad. prooem. et de Fato c. II. ubi cf. Bremi p. 9 sq.

phiae monumentum reliquisset, eum huic studio impense deditum fuisse, et dicendi facultatem ex intimis sapientiae fontibus duxisse, luculenter testificarentur [9]). Ipse subinde profitetur, se idcirco quoque philosophiae navasse, quod ex ea vera dicendi ars ducenda esset [1]). Tum vero academica philosophia eum impulit, ut omnes disciplinas pervestigaret atque perscrutaretur [2]).

IV.

Jam age pergamus ad reliquum Ciceronis studiorum cursum persequendum. Post illud tempus, quo Philo Romam venerat, triennium fere fuit urbs sine armis. Hoc tempore omni noctes et dies in omnium doctrinarum meditatione versabatur [3]). Ad stoicam philosophiam perdiscendam operam dedit Stoico Diodoto, qui quum habitavisset apud Ciceronem et cum eo vixisset, ejus domi mortuus est [4]). A quo cum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exerce-

---

9) Cf. Wyttenbach. Bibl. Crit. Vol. I. l. c. p. 7.

1) Parad. prooem. Cf. Offic. I, 1. Tusc. Disp. l. c. Orat. c. IV. Cf. subinde libros de Oratore.

2) Cf. N. D. I, 5. Wyttenb. Bibl. Crit. Vol. I. l. c. p. 5.

3) Cic. Brut. c. 90. Quintil. Inst. or. I. 2. III. 1.

4) Brut. c. 90. Lucull. 36. Adde Davisium ad Tusc. Disp. V. 39. Cf. Cic. ad Divv. XIII. ep. 16.

batur, quam quasi contractam et constrictam eloquentiam putabant; sine qua illam justam eloquentiam, quam dialecticam dilatatam esse Stoici dicebant, se consequi non posse, judicavit. Huic igitur doctori et ejus artibus variis atque multis ita erat deditus, ut ab exercitationibus oratoriis nullus dies vacuus esset. Commentabatur declamitans saepe cum aliis, idque faciebat et latine et saepius etiam graece. Hoc tempore primum ad caussas et privatas et publicas adire coepit [5]). Posteaquam biennium versatus erat in caussis, ejusque nomen jam in foro celebratum erat, Syllae, qui tum rempublicam summo imperio sibi vindicans eam nefanda crudelitate dilaceravit, et quem Sex. Roscio contra hujus accusationem defendendo sibi infensum reddiderat, furorem pertimescens, Athenas profectus est: ubi sex menses cum Antiocho, veteris Academiae nobilissimo et prudentissimo philosopho, cujus supra mentionem fecimus, fuit, studiumque philosophiae nunquam intermissum, a primaque adolescentia cultum, et semper auctum, hoc rursus summo auctore et doctore renovavit [6]). Eodem tamen tempore Athenis apud Demetrium Syrum, veterem et non ignobilem dicendi magistrum,

---

5) Brut. c. 90.
6) Brut. c. 91. cf. Ac. Qu. II, 35. Plut. Cic. c. IV.

studiose exerceri solebat. Praeterea Zenonem, Epicureum, frequenter audivit cum Attico, amico suo [7]). Mortuo Sylla (676. u. c.), amicorum precibus in patriam revocatus, ad eloquentiae studium rediit. Hoc quidem consilio Asiam totam peragravit, summosque quibus tum ea regio florebat oratores rhetoresque adiit cum iisque se exercuit. Quibus non contentus Rhodum venit, ubi et ad Molonem [8]), quem Romae audiverat, se applicavit, et vero etiam operam dedit Posidonio, principi hujus aetatis Stoicorum philosopho.

V.

Biennio post domum se recepit, cum confirmatus corpore, tum insigni locupletatus et eloquentiae facultate et philosophiae scientia. Primum quidem tanquam homo graeculus atque otiosus, a Romanis neglectus ac contemtus, dubitanter admodum ad rempublicam accessit; sed mox patris amicorumque adhortationibus et incredibili sibi innata gloriae cupiditate agitatus, totum se penitusque patriae consecrare,

---

7) Fin. I, 5. Tusc. Qu. III, 17. N. D. I, 21. Plut. Vit. Cic. c. 4. ad Divv. XIII. ep. 1. Middlet. Life of Cicero T. I. p. 16.

8) Plut. Cic. p. 862. F. Cf. Jan. Bake de Posidonio ejusque reliquiis Lugd. Bat. et Duisb. 1810. p. 9. 14. et 22. Quintil. Inst. or. XII, 6.

et in ejus utilitatem omnes et ingenii et corporis vires conferre, apud animum suum constituit. Itaque, quum caussis dicundis, patrociniis obeundis, muneribus administrandis de civibus mereri concupisceret, brevi tempore ad summas amplissimasque evectus est civitatis dignitates. Sed multae ei in hac civitatis administratione aerumnae, atque ipsum exilium perpetiendum erat. Ex exilio quidem, in cujus perferenda miseria animum fractum et afflictum prodidit, amicorum auctoritate et unanimi populi consensu Romam revocatus, pluribus denuo muneribus publicis perfunctus est. Sed mox bellum civile, inter Caesarem et Pompejum gestum, exarsit, et Ciceronis, patriae amantissimi, animum graviter afflixit. Atque hoc quidem tempore, quo respublica misere vexabatur, patriae calamitatem collacrimans prospexit, atque his gravissimis civitatis et vero dilectissimae filiae Tulliae casibus in philosophiam, tanquam in portum, e quo erat egressus, magna jactatus tempestate confugit: qua suis acerbissimis doloribus, variisque et undique circumfusis molestiis aliam nullam majorem melioremque potuit invenire levationem [9]). Pristinis igitur orbatus muneribus, quum otio, quo abundabat, lan-

9) Tusc. Qu. V, 2. 42. cf. N. D. I, 4. Divin. II, 1. 2. Academ. I, 3. Offic. II. 1. 2.

gueret, atque is esset reipublicae status [1]), ut eam unius consilio et cura gubernari necesse esset, universam philosophiam civibus suis explicare latinisque litteris illustrare primus omnium Romanorum sibi proposuit; magni existimans interesse ad decus et ad laudem civitatis, res tam graves tamque praeclaras latinis etiam litteris contineri [2]), et hanc reliquam gloriam Graecis eripi [3]). Verum enim vero haud diu Marco Tullio in dulci litterarum otio conquiescere concessum erat. Interfecto enim Caesare, Cicero, pristinam se denuo in civitate recuperare posse dignitatem, *sperans*, multumque Octavio confisus, contra Antonium, qui summa rerum potiri concupivit, surrexit, eumque praestantissimis quae sub nomine philippicarum notae sunt orationibus mirum in modum exagitavit atque traduxit. Sed haud ita multo post Octavius, relicta optimatium caussa, et cum Antonio et Lepido pace inita, triumviratus societatem cum iis constituit; Antonius vero continuo enixe omnia fecit, ut Cicero occideretur: qui quidem terrore oppletus, et, quid faceret, animi dubius, navi conscensa, in Macedoniam navigare constituit, se cum M. Bruto, amico,

---

1) Offic. III. 1. Tusc. Qu. I. 1. ad Divers. I. ep. 9. IV. 3. V. 15. et passim alibi.

2) N. D. I, 4.

3) Academ. I, 3. Tusc. Qu. II, 2.

conjuncturus. Sed itineris maritimi laboribus defessus "Moriar, inquit, in patria saepe servata" et regressurus in villam [4]) obviam venit iis, qui ab Antonio dimissi erant ad ipsum occidendum. Constanti igitur animo servis, qui herum suum defendere parati erant, deponere lecticam, qua gestabatur, et quietos pati quod sors iniqua cogeret jussis, cervicem immotam extra lecticam sicariis praebuit praecidendam. Periit magnus vir anno aetatis LXIV. d. VII. Idus Dec. DCCX. u. c.

VI. DE CICERONIS INDOLE ATQUE INGENIO.

In Ciceronis vita uti magnam animi infirmitatem atque timiditatem reperimus, quae ex ejus molli ingenio enatae videntur; ita mirificus in eo inerat patriae libertatisque amor, summumque concordiae civium ac pacis tuendae studium: quo quidem plura Ciceronis facta, quae nobis inconstantiam atque animi abjecti sollicitudinem arguere videantur, excusari debent. Huc accedebat insatiabilis quaedam laudis gloriaeque adipiscendae cupiditas: quam sane, naturali quadam timiditate temperatam et quasi gubernatam, ejus plurimarum actionum fontem atque caussam videri

---

4) Liv. fragm. ap. Senec. Suasor. I. V. Middleton. Life of Cic. T. III. c. XI. p. 288 sqq.

posse, recte judicavit Quintilianus [5]). Etsi nemo inficias ibit, Ciceronem non semper ad philosophiae, divinae illius praeceptricis, leges, quales in scriptis consignavit, naturam, mores actionesque suas composuisse: omnino tamen ejus animus ad omnes honestos excelsosque sensus tenerrimus atque multis egregiis cumulatus fuit virtutibus. Sed satis hac de re pro nostrae disputationis fine: plura si quis cupit, adeat Middletonum, de Cicerone immortaliter meritum, qui et eleganter et docte et acriter de hoc argumento disputat [6]). Uberius nobis versandum erit in adumbranda imagine quadam Ciceronis ingenii. Quod si ejus universa scripta diligenti lectione perscrutamur, ex iis omnibus ingenium elucet splendidissimum, omnibus naturae praesidiis instructum, atque indefesso omnium doctrinarum studio ad mirificam quandam perfectionem absolutionemque excultum. Juvenili aetate ad ingenium ornandum arti poeseos sedulo vacavit; sub excellentissimorum graecorum philosophorum auspiciis atque ductu omnium doctrinarum varie-

5) Inst. orat. XII. 1, 17. cf. Gesner. in vita Ciceron., Chrestom. Ciceron. praefixa. §. 94. 96. Plutarchus bene observat, et honoris cupiditatem et magnos honores plerumque philosophiae vim in animis extinguere, et cupiditatum imperio per consuetudinem subjicere.

6) Middleton l. c. s. XII. p. 295.

tatem complexus est, omnesque graecorum philosophorum disciplinas percepit, et cujusque generis scriptores graecos sedulo et assidue legendo, commentando, interpretando atque imitando subactum sibi paravit judicium. Neque ulla aetatis parte assiduis exercitationibus atque acerrimo studio ingenium perficere atque excolere destitit. Magna ei inprimis inerat atque fervida imaginandi vis ac fertilitas. Quae quidem singulares ingenii virtutes mature ejus animum ad divinum philosophiae studium adduxerunt, cujus amore inter omnes disciplinas primum capiebatur [7]). Haec quidem scientia excelso ejus ingenio praeclarissimarum rerum contemplatione optimum pabulum praebuit. Plutarchus Ciceronem eo dicit natum esse ingenio, quale Plato de Republica in philosopho requirit, ubi Socrates ita concludit: *οὐκ οὖν καὶ τὸν φιλόσοφον σοφίας φήσομεν ἐπιθυμητὴν εἶναι οὐ τῆς μίας τῆς δ'οὒ ἀλλὰ πάσης.* Multi dicunt, Ciceronem admirabili quidem ingenii foecunditate instructum fuisse, sed parum judicii subtilitate polluisse, atque adeo magis ad eloquentiam, in qua fervida quaedam imaginandi vis primarium locum occupat, quam ad subtiles philosophiae disquisitiones, quae acutissimum in rerum notionumque nexu inqui-

---

7) Tuscul. Qu. V, 2. de Offic. II, 1. et passim alibi.

rendo atque evestigando requirunt ingenium, natum factumque videri [8]). Quod quidem grave judicium num ab omni parte verum sit, necne, ex iis, quae in hac disputatione exponentur, apparebit. At vero, Ciceronem judicii subtilitate ingeniique acumine quam maxime valuisse, vel ipsae orationes, non solum verborum splendore atque ubertate, verum summo acumine et ratione ac via insignes, luculentissime probant. Ceterum in omnibus ejus philosophicis scriptis sanissima mens atque elegantissimum judicium, cum mira quadam urbanitate, festivitate, venustate conjunctum, atque romanae indolis gravitas atque majestas praeclare exsplendescit. Ne vero nimium quiddam a Ciceronis ingenio efflagitemus, probe teneamus, quae in prima nostrae disputationis parte exposuimus.

Caput alterum.

DE CICERONIS SCRIPTIS PHILOSOPHICIS.

VII. DE EJUS LIBRIS DE REPUBLICA.

Primum philosophicum scriptum, quod edidit adhuc reipublicae gubernaculo admotus (625 u. c.) [9]), sunt sex libri de republica seu de optimo statu civi-

---

8) Brucker. Hist. phil. T. II. p. 43., atque alii viri docti.

9) De tempore, quo Cicero hos libros scripserit, disputavit Angel. Maj. praefat. p. VII sq.

tatis. Brevi ante illud tempus, quo hos libros Cicero confecit, P. Corn. Scipio Aemilianus Africanus minor morti occubuerat; tum vero Cajus Gracchus periculosissimos impetus optimati reipublicae statui intendebat [1]). Delectus personarum [2]) uti in omnibus Ciceronis dialogis, ita etiam in his libris maximi momenti est. Hiberno enim tempore anni 625 u. c., C. Sempron. Tuditano et M. Aquilio Coss. [3]), primo die latinarum feriarum in hortis Scipionis prope Romam tempore procedente hi conveniunt viri: C. Laelius; M. Manilius, L. Jun. Philus; Q. Tubero; Publ. Rutilius Rufus; Spur. Mummius et ambo generi Laelii, C. Fannius et Q. Muc. Scaevola [4]). Hactenus hi libri maxime consentiunt cum Platonis majoribus dialogis mimicis. Et vero etiam in eo Platonem imitatus est, quod ad harum disputationum πιθανοτὴν augendam historico quodam eventu usus est, et Publ. Rutilium M. Tullio Ciceroni, tum adolescentulo, ejusque amico T. Pomponio Attico vel Q. Ciceroni, Marci fratri [5]), Smyrnae per complures dies horum

---

1) V. Kreuzer. V. S. *in Heidelberg. Jahrbüch. der Litterat.* 1823. 1 Heft. Jan. Nr. 4 et 5.

2) De personis v. Maj. in praefat.

3) Cic. Reip. I, 9. ad Q. Fr. III, 5.

4) Cic. ad Q. Fr. l. c. Reip. l. c. Somn. Scip. I. Cf. Kreuzer l. c. p. 52. Maj. praefat. p. X.

5) V. Maji praefat. p. XII-XIV.

librorum argumentum exponentem fecit [6]). Egregie Cicero in his libris dicentem induxit Scipionem Aemilianum, virum unum aetatis suae praestantissimum atque celeberrimum, qui eximiam civitatis scientiam eximia morum sanctimonia cumulatam habuit [7]). Argumentum horum librorum breviter, at eleganter designavit Bernardi in scriptione de Ciceronis libris de Republica, e fragmentis aliisque scriptis restitutis [8]). Continent enim hi dialogi historicam picturam romanorum institutorum, et de gravissimis ethices atque politices quaestionibus disquisitiones, veluti de origine societatis, de natura legis et officii, de aeterno boni atque mali discrimine, fundamentis scilicet publicae et privatae felicitatis: reperiuntur etiam in iis celebrata illa carneadea argumenta contra justitiam ac jus naturale [9]).

---

6) Cic. de rep. I. 8.

7) Maji praef. p. IX.

8) Bernardi de la rep. ou du meilleur gouvernement; ouvrage de Ciceron, rétabli d'après les fragmens et ses autres écrits. Paris chez Fachs 504-1807. in 2 12°.

9) Adde de hujus operis designatione Maji praefat. et Kreuzer. *Heidelb. Jahrbücher*. l. c. p. 52. Plura etiam de his libris e Cicerone congessit Middleton Life of Cicero T. II. s. VI. p. 84 sq. Cf. infra de politica.

VIII. DE LIBRIS DE LEGIBUS.

Posteaquam Cicero in libris de Republica, qualis esset optimus reipublicae status, exposuerat, scribendum etiam sibi putavit de optimis legibus, illi civitatis generi, quod in illis libris exquisiverat, consentaneis [1]). Confecit igitur libros de legibus, qui tamen nec omnes ad nos pervenerunt [2]), neque integri. Usus est in iis philosophorum more, non veterum illorum, nempe Socraticorum, et qui a Platone profecti sunt Academicorum et Peripateticorum, sed eorum, qui quasi officinas instruxerunt sapientiae [3]): quae fuse olim disputabantur a veteribus illis ac libere, ea Ciceronis temporibus a Stoicis inprimis articulatim distincteque dicebantur: qui quidem, satisfieri huic de legibus loco non posse, contendebant, nisi separatim hoc ipsum, naturae esse jus, disputaretur [4]). Totam universi juris ac legum caussam ita complecti instituit, ut hoc civile, quod dicebatur, in parvum quendam et angustum locum concluderetur. Nam primo naturam juris explicuit, eamque ab

---

1) Cic. de Legg. I, 6. II, 10.

2) Cf. praefat. Rathii ad hos libros et Goerenzii, V. Cel., Introd. p. XXIII sq.

3) Cic. de Legg. I, 13. ubi cfr. Turnebus et Hülsemannus, V. C. in vers.

4) Cic. l. c. cap. 13.

hominis repetiit natura: tum consideravit leges, quibus civitates regi debeant: quo facto, haec tractavit quae composita erant et descripta jura quaedam et jussa populorum, in quibus romani praecipue populi jura interpretanda eorumque prudentiam exponendam sibi sumsit [5]) Ad tempus, quo hi libri a Cicerone conscripti sint, quod attinet, ii in annum DCCI u. c., in LV Ciceronis aetatis incidere videntur; post Clodii igitur interitum et quidem ante bellum civile, DCCIV ortum [6]). Turnebus, hos libros statim quidem post illos de Republica scriptos, sed post Caesaris demum [7]) mortem publicatos esse, et quidem imperfectos adhuc, judicavit: quare eos Ciceronem in initio libri secundi de Divinatione, ubi eleganter sane sua ipse scripta philosophica percenset, non memorasse. Hi enim libri quamquam sententiarum gravitate, et vera sermonis suavitate egregie sese commendant, et imaginem quasi quandam Ciceronis ingenii animique lu-

5) Cic. de Legg. I. c. 5. ubi v. Turnebus. Cf. Argum. in edit. Ernest.

6) V. Rathii praefat. p. X sq. et Goerenzii introd. p. XVIII sq. Hülsemanno, V. C., in: *Einleitung z. d. Gesetzen des Cic.* p. 20. et in Anm. p. 314. ob Legg. I, 20. init. videntur hi libri brevi ante libros de F. B. et M. conscripti; quum ipse Cic. Legg. I, 19. in argumentum V libri Tusc. Qu. transierit, quas fortasse paullo ante scripserit.

7) immo etiam post Ciceronis mortem. In hanc quoque sententiam discessit V. Cel. Goerenz. in Introd. laud. p. XVII.

culenter expressam exhibent [8]); id tamen apparet, eos ab ipsa Ciceronis manu haud elimatos atque perpolitos esse. Ἀυθεντίαν denique horum librorum, quae apud nonnullos viros doctos in suspicionem incidit, egregie tuitus videtur Rathius in praefatione, horum librorum editioni praefixa [9]).

IX. DE LIBRO DE CONSOLATIONE ET DE HORTENSIO.

Anno DCCVIII. u. c. (LXII aetatis) quum Cicero a republica remotus in solitudine viveret, et legendo scribendoque se consolari studeret, in medio moerore et dolore Consolationis librum conscripsit [1]), quodque vetat Chrysippus, ad recentes quasi tumores animi

8) V. doctissam Introductionem Goerenzii in libros de Legg. p. XV.

9) p. IV sqq. — Hülsemannus *in Einleit. z. d. Uebers. d. Gs.* p. 20 sq. et p. 89., et in praefat. ad Ac. Qu. p. 13. censet, hos libros recentiori aevo a quodam forte patre seu monacho docto conglutinatos esse. Cui quidem sententiae equidem calculum meum qualemcunque haud adjecerim. — Prooemium horum librorum, quod desiderant nonnulli VV. DD., minime deest, sed in initio primi libri deprehenditur, cum imitatione platonici prooemii in libro de Legg. V. Beck. Repertor. 1824. 1. B. 2. St. — Vehementer dolui, nondum mihi licuisse usurpare editionem Ciceronis librorum de Legibus a Kreuzero et Mosero curatam.

1) Cic. ad Att. XII. 14. 15.

remedium adhibere, id se fecisse ait [2]). Naturae enim vim attulit, ut magnitudini medicinae doloris magnitudo cederet. — Eodem tempore edidit Hortensium in honorem mortui amici, dialogica forma conscriptum, atque in eo libro philosophiam contra Hortensium, quem illud studium reprehendentem induxit, defendere ac tueri, et, ut maxime potuit, cives ad philosophiam cohortari studuit [3]). Profecto dolendum est quam maxime, temporis iniquitatem nobis invidisse hunc de laudibus philosophiae librum: quem quidem efficaci stimulo animum suum ad quaerendam sapientiam excitavisse, fatetur Augustinus, seque tam vehementer solitum esse hunc librum admirari, nihil ut in eo requireret amplius, quam Jesu Christi nomen [4]).

X. DE ACADEMICIS LIBRIS.

Tum sequuntur Academicorum libri duo, quos eodem tempore (DCCVIII. u. c.) scripsit: qui utrique mutilati ad nos pervenerunt [5]). In his libris

2) Tusc. Qu. IV, 29.

3) Cic. de Divin. II, 1. Tusc. II, 2. Middleton Life of Cicero T. II. s. 8. p. 357.

4) Adde quae de hujus libri laudibus dixit Heumann. Act. phil. Vol. II. p. 461 sqq.

5) V. de hac re doctissime disputantes, Hülsemannum in praef.: cujus tamen sententiae de his libris omni in parte

academicum philosophandi genus, minime arrogans maximeque et constans et elegans ab eo praedicatum, mira quadam suavitate ac subtilitate illustravit atque persequutus est [6]), animique sententiam luculentissime expressit. In primi libri fragmento Varro inducitur, qui, inde a Socrate repetens, usque ad Arcesilam, philosophiae rationem exponit, deinde ipse Cicero ab Arcesila incipit et in Carneade desinit [7]). — Altero libro, qui inscriptus est Lucullus, hic ingreditur disputationem contra Academicos et Philonem, ab Antiocho acceptam. — De critica horum librorum quum et multa et acutissima disputata sint a viris doctissimis, nihil addendum existimo [8]).

XI. DE LIBRIS DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM.

Cum Cicero, Socratis exemplo, totam fere philosophiam ad vitam moresque referret, et philosophiae fundamentum positum esset in finibus bonorum et malorum, perpurgatus est is locus ab illo quinque

---

haud accedere possum, et Goerenzium in introduct. ad hos libros p. XIII. et ad L. II. p. I sqq. itemque Schützii prolegg. in hos libros p. 4 sqq.

6) Cic. Divin. II, 1. ad Attic. XIII, 13. et 19.

7) Cf. Argum. in edit. Ernest.

8) V. Hülsem. et Goerenz. ll. cc.

libris, ut, quid a quoque, et quid contra quemque philosophum diceretur, intelligi posset [9]). Qui quidem libri admirabili acumine et rara facundia, elegantia ac perspicuitate enitescunt, Ἀριστοτελείῳ more conscripti [1]), atque jure meritoque ob viam atque rationem, quam in iis sequutus est, in optimis elaboratissimisque ejus philosophicis scriptis numerantur. Doctrina autem de finibus bonorum et malorum consistit in explicandis notionibus, ad quas et bonorum et malorum summa referatur [2]). Ergo finis summi boni est, ad quem nitamur, ad quem omnia nostra facta dictaque referantur. Seneca [3]) principium explicat bene recteque vivendi, quo omnia, quae recte fiunt, referuntur, neque id ipsum usquam refertur.

---

9) Divin. II, 1. Middlet. Life of Cicer. T. II. s. 8. p. 358 sq. De horum librorum scriptione editioneque et de tempore, quo eorum sermones habiti finguntur, fusius disputavit Goerenzius, V. Cel., in introd. ad hos libros p. XII.

1) Cic. ad Attic. XIII, 19.

2) Ac. Qu. II. 42, 129. Fin. I, 4.

3) Senec. ep. 95. cf. Cic. Fin. II. 2. V. Beier. ad Offic. I, 2. p. 11 sqq. Adde Stob. Ecl. eth. II. c. 3. — Ceterum de verbo *fine* copiose contra Scaligerum, qui illud perperam intellexit, disputavit Davis. in praef. edit. suae. Cicero enim Graecos, qui τέλος, quod est in quoque re summum, appellant, imitatus verbum *finis* adhibuit. V. Fin I. c. 12. fin. Adde Beierum l. c. p. 11 et 12.

In his igitur libris Cicero veterum philosophorum, inprimisque Epicuri, Stoicorum et Peripateticorum excussit atque examinavit sententias. Primi et secundi libri disputatio in Cumano habita est. Torquatus in primo libro Epicuri partes suscipit ejusque sententiam exponit; in secundo libro Cicero ipse in Epicuri sententia rejicienda atque in ejus disciplinae inconstantia detegenda versatur.

Tertio et quarto libro inter Catonem et Ciceronem disputatio habetur: in qua Catoni stoicas, sibi peripateticas partes tribuit. In quarto libro Cicero apprime demonstratum ivit, Zenonem nihil habuisse, cur a Platonis, Aristotelis eorumque discipulorum doctrina desciverit: Stoicos verbis potius, et scribendi ac disserendi ratione, quam re ab his dissentire, et in pluribus philosophiae moralis partibus sibi non constare. Accuratam instituit inter stoicam et peripateticam doctrinam in tribus philosophiae partibus comparationem. Quinto denique libro Academicorum veterum ac Peripateticorum doctrinam exponit Piso, ita quidem, ut, eam ipsi Ciceroni maxime probatam fuisse, facile appareat. Ceterum personae, quae in hoc libro colloquuntur, sunt hae: M. Tull. Cicero, ejus frater Quintus, et Lucius, Antiochus, Pomponius Atticus et Piso, Athenis scilicet in Academia.

XII. DE TUSCULANIS QUAESTIONIBUS.

Post libros de Finibus B. et M. subsequuti sunt libri tusculanarum disputationum: quae res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt; primus enim est de contemnenda morte: secundus de tolerando dolore: de aegritudine lenienda tertius: quartus de reliquis animi perturbationibus: quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime illustrat; docet enim, ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam [4]). Itaque populariter magis quam subtiliter expositi sunt; sed praeclarae ac magnificae in iis consignatae sunt sententiae, ita ut eos non pro frigidioribus et senilibus tantum declamationibus, quales eos vocitavit Meinersius [5]), reputandos esse censuerim. Ceterum pertinent hi libri ad methodologiam ethicam seu asceticam, quae, quomodo, remotis virtutis impedimentis, efficiendum sit, ut appetitus rationi obediant, praecipit: quem quidem locum Cicero breviter perstrinxit in Officiis [6]). In iisdem tusculanis disputationibus complura affinia argumenta pertractantur, veluti de animorum immortalitate, de divina gubernatione, de natura ac divisione animi

---

4) Cic. de Divin. II, 1.

5) Meiners *vermischte philosoph. Schriften.* T. I. p. 297.

6) Cic. Off. I. cap. 29. §. 102. V. Beier ad Off. I. 3. p. 18. Cf. Wyttenb. Bibl. crit. Vol. I. p. III. p. 9 sqq.

perturbationum, de variis philosophorum de summo bono sententiis.

XIII. DE LIBRIS DE NATURA DEORUM ET DE DIVINATIONE.

Libris tusculanarum disputationum editis, quum philosophia moralis arcto quodam vinculo cum physiologia, seu doctrina de natura deorum constricta sit, tres libros de hoc argumento perfecit, in quibus omnis ejus loci quaestio continetur [7]). Plura de his libris, quum ad Ciceronis physiologiam pervenerimus, nobis erunt exponenda. Ceterum incidunt hi libri in annum DCCIX. a. u. c. et in LXIII Ciceronis aetatis [8]). — Quaestioni de natura deorum ut plene esset cumulateque satisfactum, confecit libros duos de Divinatione, seu de praesensione et rerum futurarum scientia: in quorum priore divinationis patrocinium suscipit Quintus, frater, eamque e Stoicorum sententia acerrime defendit ac tuetur; in altero contra ipse Cicero hujus scientiae imbecillitatem mira sagacitate detexit, atque Quinti argumenta confutavit. Hi libri, eodem anno conscripti [9]), in subtilissimis

---

7) Cic. Divin. II, 1.

8) Middlet. Life of Cicero. T. III. s. 9. p. 49 sq.

9) V. Rathii praefat. ad Legg. p. XI sq.

acutissimisque quae Cicero elaboravit philosophicis scriptis ducenda sunt. De eorum argumento infra in loco, qui est de divinatione, copiosius exponemus.

XIV. DE TRIBUS LIBELLIS, QUORUM UNUS EST DE SENECTUTE, ALTER DE AMICITIA, TERTIUS DE FATO.

Eodem tempore Cicero misit ad Atticum librum de Senectute seu Catonem, libellum praestantissimum, quo et illum et se, utrumque senem, consolari vult. Induxit autem senem venerabilem sanctissimumque [1]), M. Catonem Censorem, senectutem defendentem ab iis, qui eam accusare solent. Atque ex hac quidem Catonis persona summa huic disputationi additur et gravitas et majestas, et auctoritas [2]). Oppugnat quatuor principales caussas, de quibus senectus vulgo misera putetur; eam nimirum avocare a rebus gerendis, corpus debilitare, omnibus fere voluptatibus privare, denique haud procul abesse a morte. Has singulas accusationis partes diluit, negatque, partim eas in senectutem convenire, partim vero iis rebus miseram senectutem reddi. Simul ostenditur, qua ratione tranquilla atque contenta senectus paranda

---

1) Cf. Gerhardi Prolegomena in hunc libellum p. XIII sqq.

2) V. Cat. Maj. I. §. 3.

sit: totum denique libellum claudit pulcherrimus locus de aeternitate animorum. Ciceronem in conficiendo hoc libello toto pectore versatum esse, et res loquitur, et vero ipse profitetur [3]). Ceterum notandum est, Catonem, etsi acerrimus Stoicus fuerit, in hoc tamen dialogo non Stoicorum tetricas atque difficiles sententias sequutum esse; sed saepius magis ad Peripateticorum mitiorem faciliorem que disciplinam inclinasse [4]). Quod quidem nos minime morari atque offendere potest, si reputamus, hunc sermonem non ex intima Stoicorum doctrina depromtum esse, sed familiariter tantum a Catone cum adolescentibus Scipione et Laelio institutum. — Uti in hac scriptiuncula ad senem senex de senectute, sic paullo post ad eundem Atticum amicum amicissimus de amicitia scripsit, quoniam haec res digna sibi tum omnium cognitione, tum sua familiaritate visa est [5]). Inscripsit hunc libellum Laelium, quia hic sapientissimus vir de amicitia disputans inducitur. Hic liber, etiamsi in eo Ciceronem nostrum haud satis accurate versatum, negari nequit, jucundissimus tamen lectu

---

3) Cato c. I. Mihi quidem ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut non modo omnes absterserit senectutis molestias, sed effecerit mollem etiam et jucundam senectutem.

4) Cf. v. c. cap. XIV. XIX. et alibi passim.

5) Lael. c. I.

est, et tenerrimos amicitiae sensus exprimit, atque eo magis lectoris animum rapit, quod haec amicitiae quasi imago secundum summorum praestantissimorumque Romanorum indolem adumbrata exhibetur [6]. — Libris de Natura Deorum et de Divinatione adjunxit duos de Fato libros, ut toti huic quaestioni abunde satisfactum esset: e quibus exordium et alterius libri particula exigua nobis est servata: quae judicii acrimonia et sagacitate sese commendat [7].

XV. DE LIBRIS DE OFFICIIS ET DE RELIQUIS PHILOSOPHICIS SCRIPTIS.

Tum Cicero tres libros de Officiis scripsit ad filium Marcum [8], qui tum disciplinae Cratippi, philosophi peripatetici, commissus erat. Primum docet, quam gravis et utilis hic philosophiae locus sit, et quam aptus et aetati filii et auctoritati suae [9].

---

6) Hunc libellum critico examini subjecit Heumannus in Act. phil. Vol. II. p. 446 sqq. sed iniquissimum de eo tulit judicium, atque locum quendam, meridiana luce clariorem, ne intellexit quidem.

7) Plura infra in Cic. loco de Fato et de ejus externa forma cf. Bremi p. 1 et 2.

8) De quo vide quae congessit Francisc. Binkes in dissert. juridica in Annal. Acad. Lugd. Bat. anni 1818. p. 8 sqq.

9) Ad Attic. XV. 13. Nos hic φιλοσοφούμενα (quid enim aliud?) et τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus, προσφωνοῦμεν que Ciceroni; qua de re enim potius pater filio? Cf. Off. I, 2.

Scripti sunt hi libri anno DCCIX, M. Antonio et P. Cornelio Dolabella Coss. [1]). Ceterum dialogicam formam, qua in reliquis libris philosophicis usus est, in his libris non adhibuit; idcirco, uti videtur, quod non academica subtiliter disputandi ratione hunc locum pertractare, et variorum philosophorum sententias earumque argumenta comparare atque examinare statuit; sed omnino praeceptis ad vitam communem instituendam salutaribus filium instruere voluit [2]).

Paullo post duos libros de Gloria ad Atticum scripsit [3]): qui diu post inventam artem typographicam servati erant, postea tamen interciderunt. Multus de hoc scripto est Middletonus [4]). Fragmenta librorum de Gloria v. in edit. Schützii XVI, II. p. 112. — Eodem tempore sex Paradoxa, quibus Stoicorum decreta, quae a communi hominum intelligentia abhorrerent, vindicare studuit, conscripsit [5]). — Praeter ea

1) De tempore, quo scripti sunt hi libri, v. Franc. Binkes l. c. et Beier. ad Off. I. pr.

2) Cf. Binkes l. c. p. 9. et Gernhard, V. Cel., Praef. ad hos libros p. XVIII sqq.

3) Cic. ad Attic. XV. 27.

4) Life of Cicero, in animadvers. T. IV. s. IX. p. 255.

5) Cf. Brucker. Hist. phil. T. II. p. 45. qui cum multis aliis VV. DD., haec paradoxa magis exercitii caussa, quam ex animi sententia a Cicerone esse perscripta, haud recte

quae nobis supersunt philosophica scripta multo plura Ciceronem confecisse, vel ex loco in Officiis [6]), ubi ipse ait: "Quamobrem magnopere te hortor, mi Cicero, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros, qui jam illos fere aequarunt, studiose legas [7])," luculenter videtur apparere.

XVI. FINIS.

Enumeratis Ciceronis philosophicis scriptis ex temporis quo composita sunt ratione, sequitur, ut secundum argumentum, quod in iis pertractatum est, quo ordine sint digerenda, paucis expediamus. — Ad physiologiam referendi sunt tres libri de Natura Deorum, duo de Divinatione et fragmentum de Fato: quibus addi potest Timaeus, seu liber de Universitate, e Platone in latinum sermonem conversus, qui haud integer ad nos pervenit, et Somnium Scipionis, par-

---

mihi censere videtur. Cui sententiae ipsius Ciceronis verbs in Parad. I. pr. repugnant: Vereor, inquit, ne cui vestrum ex stoicorum hominum disputationibus, non ex meo sensu depromta haec videatur oratio: dicam tamen, quod sentio. De his παραδόξοις cf. prolegom. Gernhardi p. XXV sqq. Heumann. acit. phil. T. III. p. 694 sqq. et elegantissime de iis disserentem Bardilium in Haufs Philolog. II. p. 9 sqq.

6) Off. I, 1.

7) Verbum enim *aequare* de numero accipiendum. V. Beier. p. 7.

ticula sexti libri de Republica, a Macrobio servata atque explicata: in quo Platonis quidem vestigiis insistens, nativae tamen indolis atque ingenii documentum edidit longe splendidissimum. — Ad moralem philosophiam, quam plurimis libris complexus est, pertinent: quinque libri de Finibus B. et M; tres libri de Officiis; Tusculanae quaestiones; dialogi de Senectute et de Amicitia, sex denique Paradoxa stoica a Cicerone explicita. Ad politicam philosophiae partem referendi sunt sex libri de Republica, et libri de Legibus. Denique dialecticae adscribendi sunt academici libri, in quibus potissimum de veri falsique notionibus disputatur: quibus addi possint Topica Ciceronis; sed haec ad dicendi potius artem spectant. Nam de dialectica seu logica a Cicerone confecta haud somniandum est [8]).

Caput tertium.
DE CICERONIS PHILOSOPHIA UNIVERSE.

XVII. DE CICERONIS IN CONFICIENDIS PHILOSOPHICIS SCRIPTIS CONSILIO.

Si scriptoris alicujus monumenta curate atque diligenter percipere, justumque iis pretium statuere volumus, ante omnia, quod in iis conficiendis se-

8) V. Brucker. Hist. phil. T. II. p. 46.

quutus videatur consilium, quam maxime anquirendum nobis erit. Quod quum in dijudicanda Ciceronis philosophia plerumque a viris doctis neglectum sit, profecto non est, quod miremur, diversissimas inde atque inter se maxime discrepantes enatas esse sententias. Ab hoc igitur consilio, quantum in nobis est, exponendo et inprimis ex Ciceronis ipsius scriptis illustrando ejus quae sequitur disputationis primordia nobis capienda duximus.

Cicero uti in republica versatus omnem in ea industriam, omnem operam, omnes curas cogitationesque posuit, civiumque salutem atque incolumitatem modis omnibus augere et promovere enisus est: ita ei, in senili aetate constituto et ab administranda civitate remoto, quum, romana republica eversa, atque libertate Caesaris dominatu oppressa, sibi non amplius in vita publica versari liceret, quaerenti multumque et diu cogitanti, quanam re posset civibus suis optime consulere, ne quando intermitteret civitatis salutem adjuvare, nulla major occurrit, quam si optimarum artium vias traderet civibus suis [9]), atque philosophiam e Graecia traductam latinarum litterarum luce illustraret, et divinae illius doctrinae amo-

9) Divin. II, 1. cf. II, 2. Tusc. I, 3. II, 3. et alibi.

rem in Romanorum animis accenderet et aleret [1]), eosque opera, studio et labore suo doctiores ac meliores redderet [2]). Quod enim munus, inquit [3]), reipublicae adferre majus meliusve possumus, quam si docemus et erudimus juventutem? his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coercenda sit. Nec vero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adolescentes se ad haec studia convertant: pauci utinam! quorum tamen in republica late patere potuit industria. Equidem ex his etiam fructum capio laboris mei, qui jam aetate provecti in nostris litteris acquiescunt: quorum studio legendi meum scribendi studium vehementer in dies incitatur: quos quidem plures, quam rebar, esse cognovi [4]). Cicero igitur, patriae suae amantissimus, atque excelsarum priscorum Romanorum rerum cogitatione percussus, majorum virtutes, quae tum extinctae paene atque deletae videbantur, in Romanorum ingeniis dandis optimis philosophiae praeceptis, iisque

1) Tusc. Qu. I, 3.
2) Fin. I, 3. fin.
3) Divin. II, 2.
4) Cf. N. D. I, 3. cf. I, 4. ubi dicit: se inter Romanos multorum non modo discendi sed etiam scribendi studia commovisse: et altero loco: Multum autem, ait, fluxisse video de libris nostris.

luculentissimis exemplis ex historia romana petitis illustratis atque confirmatis resuscitare voluit. Socratis, philosophiae parentis, exemplo [5]) philosophiam in urbibus collocavit, et in domus etiam introduxit, et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere [6]). Itaque Cicero, etsi nullum fere philosophiae locum, qui non latinis litteris illustratus pateret, reliquit [7]), non perfectam artis quandam disciplinam condidit, neque hoc in conscribendis dialogis suis philosophicis sequutus est consilium, sed praeclarissima quaeque et ad mores conformandos vitamque melius instituendam saluberrima sapientiae praecepta, romani sermonis splendore explanata, ex umbra quasi in solem atque pulverem producere sibi proposuit. Omnino, quod jam supra monuimus, Romanorum ingenium abhorruit a perficienda nova philosophicae disciplinae arte. Cujus rei caussas partim in romanae gentis indole, partim vero etiam in eo sitas esse putavimus, quod Romani ad praestantissima Graecorum ingeniorum monumenta, tanquam exemplaria, imitandi studium dirigentes, se quicquam novi

---

5) Cic. Tusc. Qu. V, 4. ubi v. Davis.

6) Cic. ad Divers. XV. ep. 4. fin. — soli propemodum nos philosophiam illam veterem et antiquam in forum atque rempublicam, atque in ipsam aciem paene deduximus. Cf. ad Q. Fr. III. ep. 3.

7) Cf. Divin. II, 2.

invenire atque evestigare posse, diffisi esse videntur. Eandem ingressus viam Cicero, Graecorum vestigiis insistens, in ipsis philosophiae mysteriis nihil novi invenit, sed ea retractavit, quae jam erant in promtu atque parata, quaeque civibus suis utilissima videbantur. Enimvero Ciceronis philosophia maximam partem mera vitae sapientia est, sana tamen plerumque atque vera [8]). — Quae paucis jam perstrinximus, ex iis, quae in ceteris hujus disputationis partibus curatius atque uberius exponentur, clarius elucebunt.

XVIII. QUAMNAM PHILOSOPHANDI RATIONEM SEQUUTUS FUERIT CICERO, DEMONSTRATUR.

Cicero Academicorum disciplinae, qualis post Arcesilam, a Carneade atque Philone tradebatur, deditus erat. Sub hujus auspiciis, cui totum se tradidit, ingenium academicae philosophiae curatissime pernescere atque perscrutari didicit. Quum enim omnium philosophorum disciplinas perscrutatus, summos Graeciae philosophos de gravissimis quaestionibus vehementer dissentire interque se dissidere [9]), intelligeret,

8) Cf. Tusc. Qu. V. 1. 2. Academ. I, 6.

9) Academ. II, 4. Tusc. I, 9. Cf. omnino posteriorem libri II. Academicorum partem, ubi de hac re et subtilissime disputavit, et elegantissime.

absolutam quandam atque perfectam in iis haud obtinere veritatem, pervidit, et, quum non aliter, nisi de omnibus rebus in contrarias partes disserendo, quid in quaque re verisimile esset, inveniri posse, sibi persuaderet [1]), totum se penitusque huic philosophiae, quae nihil affirmat, sed probabiliter tantum de argumento quovis disserit, tradidit. Itaque Cicero hujus disciplinae desertae relictaeque patrocinium suscepit, et Academiae quasi sospitator ac vindex recte dici atque haberi potest. Haec enim in philosophia ratio contra omnia disserendi, nullamque rem aperte judicandi, profecta a Socrate, repetita ab Arcesila, confirmata a Carneade usque ad suam viguit aetatem, sed nunc propemodum orba erat in ipsa Graecia [2]). Quod non Academiae vitio, sed tarditate hominum contigisse, recte judicavit Cicero. Verum hominum interitu non sententiae quoque occidunt, sed lucem auctoris fortasse desiderant. — Hoc igitur philosophandi genus semper praedicat atque dilaudat, semperque illud sectatur [3]).

---

1) V. Tusc. Qu. II, 3.
2) N. D. I, 5.
3) Tusc. Qu. V, 29. Parad. I. et alibi Philonis potissimum auctoritatem sequitur. V. Brut. c. 89. ad Divers XIII, 1. Tusc. Qu. II, 10. N. D. I, 3. Academ. I, 4. Divin. II, 73. Lucull. 20. Offic. I, 2. Orat. 12. ad Attic. XIII, 19. Cf. Plutarch. vit. Ciceronis.

XIX. ADUMBRATIO QUAEDAM INGENII ACADEMICI SCEPTICISMI.

Ingenium academicae dubitationis, quam sequutus est Cicero, quum a compluribus viris doctis, qui de eo scripsere, non satis perceptum ac cognitum esset, extiterunt, qui dicerent, Ciceronem nihil certi de ulla re omnino statuisse, sed vel haud accurata philosophiae scientia instructum munitumque fuisse, vel incertis opinionibus huc illuc fluctuasse, et sibi adeo vehementer contradixisse. Quod quidem sane quam difficile judicium, nullis certis superstructum argumentis, quum nobis sit diluendum, optimum visum est, ingenium hujus scepticismi ex ipsius Ciceronis, qui passim de eo elegantissime egit, scriptis adumbrare atque describere. Locus classicus consignatus est in Academicis libris [4]). Neque inter nos, inquit, et eos, qui se scire arbitrantur, quidquam interest, nisi quod illi non dubitant, quin ea vera sint, quae defendunt; nos probabilia multa habemus, quae sequi facile, affirmare vix possumus. Nos autem liberiores et solutiores sumus, quod integra nobis est judicandi potestas; nec, et omnia, quae praescripta et quasi imperata sint, defendamus, necessitate ulla cogimur. Nam ceteri primum ante

4) Academ. II, 3.

tenentur adstricti, quam, quid esset optimum, judicare potuerunt: deinde infirmissimo tempore aetatis aut obsecuti amico cuidam, aut una alicujus quem primum audierunt oratione capti, de rebus ignotis judicant, et ad quamcunque sunt disciplinam quasi tempestate delati, tanquam ad saxum adhaerescunt. — Nec minus luculentus locus legitur in Officiis [5]): Occurritur autem nobis, inquit, et quidem a doctis et eruditis, quaerentibus, satisne constanter facere videamur, qui, quum percipi nil posse dicamus, tamen et aliis de rebus disserere soleamus, et hoc ipso tempore praecepta officii persequamur. Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam, quid sequatur; quae enim esset ista mens, vel quae vita potius, non solum disputandi, sed etiam vivendi ratione sublata? Nos autem, ut ceteri, qui alia certa, incerta alia dicunt, sic ab his dissentientes, alia probabilia, contra alia improbabilia dicimus. — His fere gemina sunt, quae in primo de Natura Deorum dicit [6]): Nec tamen fieri potest, ut, qui hac ratione philosophantur, ii nihil habeant, quod sequantur. — Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse

---

5) Offic. II, 2.
6) Nat. Deor. I, 5.

videatur; sed ii, qui omnibus veris falsa quaedam adjuncta esse dicamus, tanta similitudine, ut in iis nulla insit certa judicandi, et assentiendi nota: ex quo existit et illud, multa esse probabilia, quae quamquam non perciperentur, tamen quia visum haberent quendam insignem et illustrem, his sapientis vita regeretur. Adde alium locum [7]): Utamur igitur libertate, qua nobis solis in philosophia licet uti, quorum oratio nihil ipsa judicat, sed habetur in omnes partes, ut ab aliis possit ipsa per sese, nullius auctoritate adjuncta, judicari. — Quibuscum verba in Divinatione [8]) designata conferenda sunt haec: Proprium sit Academiae, judicium nullum interponere, ea probare, quae simillima veri videantur, conferre caussas, et quid in quamque sententiam dici possit, expromere, nulla adhibita sua auctoritate, judicium audientium relinquere integrum ac liberum: tenebimus hanc consuetudinem a Socrate traditam. Huc quoque pertinent verba haec [9]): Nos ipsos redargui refellique patia-

7) Tusc. Qu. V, 29.

8) Divin. II, 72.

9) Tusc. Qu. II, 2. — Adde Off. II, 2. fin. Quid est igitur, quod me impediat ea, quae mihi probabilia videantur, sequi; quae contra, improbare: atque affirmandi arrogantiam vitantem, fugere temeritatem, quae a sapientia dissidet plurimum. Contra autem omnia disputatur a no-

mur: quod ii ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt; eaque necessitate constricti, ut etiam, quae non probare soleant, ea cogantur constantiae caussa defendere: nos qui sequimur probabile, nec ultra quam id, quod verisimile occurrerit, progredi possumus, et refellere sine pertinacia, et refelli sine iracundia parati sumus. —

XX.

Ex his locis, Ciceronem hoc potissimum philosophandi genus sibi eligendum duxisse propterea, quod, illud unice veram atque certam ad inquirendam veritatem munire viam [1]), eos vero, qui certis sibi

---

stris, quod hoc ipsum probabile elucere non possit, nisi ex utraque parte caussarum esset facta contentio. Cf. Tusc. Qu. I, 9.

1) Cf. Lucull. 20.: Ego, inquit, si aut ostentatione aliqua adductus ad hanc potissimum philosophiam me applicavi: non modo stultitiam meam, sed etiam mores et naturam condemnandam puto. Nam, si in minimis rebus pertinacia reprehenditur, calumnia etiam coercetur, ego de omni statu, consilioque totius vitae, aut certare cum aliis pugnaciter, aut frustrari cum alios, tum me ipsum, velim? Itaque, nisi ineptum putarem in tali disputatione id facere, quod quum de rep. disceptatur, fieri interdum solet, jurarem per Jovem deosque penates, me et ardere studio veri reperiendi et ea sentire, quae dicerem. Qui enim possum non cupere verum invenire, cum gaudeam,

dederint disciplinis, opinionum praejudicatarum errore obstrictos, verum pervidere non posse, sibi persuasit, dilucide apparet. Hujus enim philosophiae proprium est, in utramque partem veri reperiendi caussa disserendo errores et sententias, haud firmis superstructas fundamentis, destruere, ita tamen, ut eorum quae oppugnaverunt falsitatem non disertis verbis ostenderent, neque pro iis aliud quiddam ponerent. Academici igitur non omnem scientiam sustulerunt, sed cum ratione probabilitate usi sunt [2]). — Cicero igitur, nullius philosophiae disciplinae auctoritate adstrictus, principum philosophorum sententias in utramque partem veri reperiendi caussa disserendo examinavit atque excussit, et in utramque partem ponderatis rei momentis, rationibusque comparatis, veritatem vel summam probabilitatem sequendam putavit. — Quod vero Cicero saepe Stoicorum, Peripateticorum, aliorumque summorum Graeciae philosophorum de-

---

si simile veri quid invenerim? Sed, ut hoc pulcherrimum esse judicem, vera videre, sic pro veris falsa probare, turpissimum est. Nec tamen ego is sum, qui nihil unquam falsi approbem, qui nunquam adsentiam, qui nihil opiner.

2) Cicero disertissimis verbis repudiat Pyrrhonismum. Cf. Off. I, 2. Aristonis, Pyrrhonis, Herilli jam pridem explosa sententia est: ubi v. doctissima Beieri nota. p. 14 sq. Adde Tusc. Qu. V, 30., ubi v. Davis. et quae laudat loca.

creta defendit, id tantum abest, ut sententiam, qua, Ciceronem Academicum esse, contendimus, infringat, magis etiam conspirat cum Academicorum ratione: quae quidem in eo sita fuit, ut, si decretum aliquod philosophicum iis examinandum proponebatur, illud aut ad probabilitatem atque verisimilitudinem propensum, aut ab ea alienum sibi videri, dicerent. Quam quidem aliorum philosophorum decreta sibi vindicandi Academiae rationem [3]) quum plerumque ii, qui de Ciceronis philosophia scripserunt, haud satis perspectam atque cognitam haberent, perversissima de eo exorta sunt judicia [4]). Enimvero Cicero, omnis

3) Cf. Francisc. Dor. Gerlachii Commentat. de Academicorum juniorum probabilitate, cum recentiorum philosophorum qui probabilitatis caussam susceperunt sententiis comparata. Gotting. 1805. pag. 24.

4) Gurlitt *Gesch. d. Phil.* p. 149. Eberhard *Gesch. d. Phil.* p. 193 sqq. — Inprimis Meiners (*vermischte phil. Schriften.* B. I. p. 295.) gravissimum de Cicerone facit judicium, quum illum censet interdum ab Arcesila et Carneade ad antiquiores philosophos, qui de veritatis inventione non plane desperaverant transiisse; atque (p. 296.) severissime notat desultoriam illam levitatem, qua nunquam sibi similis, eosdem viros, eadem decreta, easdem disciplinas omnibus modo laudum titulis ornabat, modo proterva dicacitate traducebat; — et quae alia addit vitia, nullis tamen allatis argumentis. — Multa quoque falsissima de Ciceronis philosophia facta sunt judicia, quod multi VV. DD. haud satis diligenter attenderunt ad interlocutorum personas, neque eorum sententias a Ciceronis sententiis distinguere con-

graecae philosophiae campum emensus [5]), e singulis disciplinis quodcunque ipsum maxime specie veritatis moveret, libavit, atque decerpsit [6]).

XXI. QUORUM PHILOSOPHORUM DECRETA MAXIME PROBAVERIT CICERO, EXPONITUR.

Inter omnes graecos philosophos vehementissime admiratus est Cicero divinum ingenium Platonis, quem philosophorum deum appellat, quem divinis semper prosequitur laudibus [7]), quem denique omni

---

sueverunt. Sic multa confudit Nahmmacher. in dissert. de Theologia Ciceronis. Francoh. 1767.

5) Cf. Macrob. Somn. Scip. II, 17. v. supra.

6) Cf. Tusc. Qu. V, 29. — Hac libertate usus ne iis quidem, quae a singulis Academicis dicta erant, semper assensit. Sic ipse fatetur (Tusc. Qu. V, 29.) se non probare difficultates, a Carneade contra Stoicos motas de quaestione scientiae, si in virtute ea omnia, quae ad beate vivendum opus sunt, reperiantur.

7) Legg. II, 6. vir doctissimus Plato atque idem gravissimus philosophorum omnium. Tusc. Qu. V. 13. Ex hoc igitur Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio (sc. virtutem ad beate vivendum se ipsa esse contentam). Tusc. Qu. I, 17. Ego ipse cum eodem ipso (Platone) non invitus erraverim. et cap. 21. ut enim rationem Plato nullam afferret (vide quod homini tribuam) ipsa auctoritate me frangeret. Quae tamen verba haud nimis anxie premenda sunt; Cicero enim, hanc ab interlocutore oblatam occasionem, qui scilicet dixerat, se errare malle cum Platone, quam cum minutis

modo imitari atque aemulari nititur [8]). Haud dubie Cicero Platonis philosophiam totam vel certe maximam partem sibi vindicasset, latinisque litteris illustrasset, si omnem ejus sublimitatem atque excelsitatem animo menteque sua concipere potuisset. Praeclare Platonis ingenium imitando expressit in Somnio Scipionis, quod cum admirabili quadam orationis ubertate, tum mirifica divinarum sententiarum majestate enitescit. De cujus praestantia addere mihi liceat magni viri, Wyttenbachii [9]), judicium. "Argumentum, inquit, (sc. animorum immortalitatis) quum in prima Tusculana et de Senectute egregie ac divine exornavit, tum in Somnio Scipionis se ipse superasse videtur. Nam quamvis nova immortalitatis argumenta nulla protulit; tamen antiquorum inventis ita usus est, ita humanae mentis ortum ac sortem ex-

---

istis philosophis vera sentire, arripiens sententiam suam de Platone, inprimis in ejus doctrina de animorum immortalitate, expromere voluisse videtur. — Ad Attic. IV. 15. 16. fere idem quod in πολιτείᾳ Deus ille noster Plato, Legg. III. 1. pr. Sequar igitur — divinum illum virum, quem quadam (?) admiratione commotus, saepius fortasse laudo, quam necesse est. ubi cf. Goerenz. p. 215. — N. D. II. 12. audiamus Platonem, quasi quendam deum philosophorum: ubi cf. Davis. et Kreuzer. p. 255.

8) Cf. Quintil. Inst. orat. X. 1, 123.

9) Wyttenb. comment. de veterum philos. usque ad Senecam sententia de immortalitate animorum pag. 82.

posuit, ita futuram piorum conditionem descripsit, ut inhumanus et plane ferreus sit, qui libelli lectione non melior fiat, nec, spretis terrenis et fragilibus rebus, caelestia et divina consectetur." Platonis auctoritatem in iis potissimum, quae ad naturae cognitionem (physica) et ad animorum immortalitatem [1]) spectant, probavit [2]). — Ex Stoicorum disciplina permulta decreta sua fecit, inprimis in iis, quae praeclare ab illis scripta erant de morali doctrina, de legis natura, de conformanda republica. Etenim Cicero Stoicorum philosophiam moralem, quae secundum platonicam praestantissima jure censeri debet, et quae in illa expressae erant sententias excelsissimas nobilissimasque inter cives suos divulgare atque propagare studet. Etsi haud raro Stoicorum philosophiam vehementer aggreditur atque perstringit; tamen omnino de illa magnifice sentit [3]), et non tam illorum

1) V. Wyttenbach. l. c. p. 79 sq.

2) Cf. Tusc. Qu. I, 21.

3) Cf. Divin. II, 37. Cum quibus (Stoicis) omnis fere nobis disputatio contentioque est, non quod eos maxime contemnamus; sed quod videntur acutissime sententias suas prudentissimeque defendere. — Tusc. Qu. IV, 24. — In oratione quidem pro Muraena stoicam disciplinam ridendam propinavit; sed ipse Fin. IV. 29. fatetur, se tum jocatum, et apud imperitos illa dicta esse, et ad caussam suam defendendam aliquid coronae datum. — Omnino hoc loco cautiones quaedam, quae in Ciceronis sententiis

sententias, quam quibus eas confirmare satagebant argumenta, longissime nonnunquam arcessita, reprehendit. — Secundum Platonem Cicero Aristotelem summa semper prosequutus est admiratione, ejusque multa decreta in libris de Republica, de Legibus, de Officiis mirifice amplexus est [4]). Platonis, Aristotelis, Theo-

philosophicis dijudicandis probe tenendae sunt, indicandae videntur. Ac primum quidem de iis ipsa ejus philosophica scripta adeunda atque consulenda sunt. Etenim in orationibus non semper sua ipse expromsit sensa, sed caussae suae et tempori inserviit. Audiamus ipsum in Or. pro Cluentio c. 49. Sed, ait, errat vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in judiciis habemus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur. Omnes enim illae orationes caussarum et temporum sunt, non hominum ipsorum ac patronorum. Tum vero nec ex epistolis, nulla habita ratione eorum, ad quos scriptae sunt, Ciceronis vera sententia petenda est. Nam in iis saepius sententiam, quam de philosophiae argumentis tenebat, neque exposuit, neque exponere voluit; sed multa dixit, quae sibi ad eorum ad quos scripsit personam, ingenium ac rationem apta videbantur. Denique in ipsis philosophicis scriptis caute circumspecteque versandum. Primum quidem accurate advertamus necesse est ad personas disputantes, num ipse Cicero, an interloquutores disserant. Deinde, quae academice in Ciceronis libris disputantur, in iis semper animadvertenda est academica disserendi ratio, de qua supra. Cf. Wyttenb. de veterum philosophorum sententia de animorum immortalitate p. 58 sq. Quae hoc verbo tetigimus, infra exemplis permultis confirmabimus.

4) Peripateticam philosophiam quum a Socraticis et Platonicis haud multum dissidere putaret, illius praeceptiones

phrasti aliorumque Peripateticorum et veterum Academicorum scripta Ciceroni, magno Romanorum oratori, non solum ob argumenti in iis tractati gravitatem, sed ob orationis ubertatem atque splendorem videntur perplacuisse [5]). Tum vero etiam peripatetici atque academici philosophi nostro philosopho idcirco probari debebant, quod illi eum locum, qui erat de rerum publicarum gubernatione, graviter et copiose tractaverant [6]): quod Ciceroni, qui rempublicam et suo ipse moderamine rexerat, et de optimo reip. statu ac legibus scripsit, gratissimum esse debebat. In theoreticis denique quae dicuntur philosophiae contemplationibus Academicorum de probabilitate doctrinam sequutus est. — At enimvero contra epicuream disciplinam ejus ingenium tam vehementer exarserat, ut, ubicunque potuit, incesseret eam atque traduceret. Cujus rei caussa haud longe est petenda. Cicero enim, de patriae civiumque salute maxime sol-

---

quasdam in doctrina de Officiis admiscuit. Cf. Offic. I, 1. nostra legens, non multum a peripateticis dissidentia; quoniam utrique et Socratici et Platonici esse volumus: ubi v. Beier.

5) Cf. de Fin. IV. 3. Brut. c. 31. Off. I. 1. de Orat. I. 11. II. 38. III. 35. De optimo genere Orat. c. 6. Orat. 13, 19. de Invent. II. 2. V. J. R. Thorbecke Dissert. philos. in Annal. Acad. Lugd. Bat. 1818. p. 10.

6) Cf. de Fin. IV. 2. et 22. V. 3 sq. de Orat. III, 28.

licitus, Epicurum, in hortulis molliter et delicatule recubantem, eos, qui se huic philosophiae tradiderint, a procuranda republica avocare, et pristinas Romanorum virtutes destruere, sibi habuit persuasissimum [7]).

XXII. DE PROPRIO CICERONIS PHILOSOPHANDI GENERE.

Jam vero, si Ciceronis libros philosophicos, et quam in iis inivit philosophandi rationem altius perscrutamur, praeclare intelligemus, eam saepissime proxime accedere ad socraticam rationem. Enimvero, quum Cicero argumentum aliquod omnibus ex partibus excusserit atque examinaverit, tum, si ex allatis a se aliorum philosophorum sententiis, discrepantibus inter seque dissidentibus, aliquid veri, vel certe vero simile elici posset, relictis philosophicarum disciplinarum subtilitatibus, et sano quo instructus erat mentis judicio in consilium vocato, tentavit [8]). Quam quidem ingressus rationem praeclarissimas saepe proposuit sententias. Sana igitur mens, cum morali quodam judicio

7) Cf. Bruckeri Histor. phil. T. II. p. 48. Cf. Tusc. V. 11, 33. Fin. V. 26, 76. Off. III. 4, 20. — 7, 33. Adde Thorbeckium in comment. saepius jam laud. p. 26.

8) V. Frank *über den philosophischen Charakter der Ciceronischen Bücher von der Natur der Götter.* Altona u. Leipz. 1799. pag. 164.

conjuncta, quae nulli disciplinae adstringendam se tradit, in Ciceronis philosophicis scriptis maxime elucet. Itaque, ut firmo hac in re incederet pede, academico more philosophos contra philosophos disputantes inducens, ad rem accurate excutiendam veritatemque inquirendam in utramque partem disserit: ut, quid in utraque parte recte atque probabiliter, quid parum recte disputatum sit, ex hoc quasi sententiarum earumque argumentorum ac rationum conflictu inveniri possit [9]). Socratis morem, quem Carneades quoque acutissime copiosissimeque tenuit, sequutus, suam ipse sententiam texit, errore alios levare, et in omni disputatione quid esset simillimum veri, quaerere studuit, et, qui requirant, quid quaque de re ipse sentiat,

---

9) Cf. Meiners *verm. phil. Schriften.* T. I. p. 292. Disertissimis hac de re verbis ipse Cicero exposuit Tusc. Qu. I, 4. "fiebat autem ita, ut, quum is, qui audire vellet, dixisset, quid sibi videretur, tum ego contra dicerem: haec est enim, ut scis, vetus et socratica ratio contra alterius opinionem disserendi: nam ita facillime, quid verisimillimum esset, inveniri posse, Socrates arbitrabatur." — Cf. Tuscul. Qu. V. c. 4. Cujus (sc. Socratis) multiplex ratio disputandi, rerumque varietas et ingenii magnitudo, Platonis memoria et litteris consecrata, plura genera effecit dissentientium philosophorum. E quibus nos id potissimum consecuti sumus, quo Socratem usum arbitramur, ut nostram ipsi sententiam tegeremus, errore alios levaremus, et in omni disputatione, quid esset simillimum veri, quaereremus.

curiosius id facere dixit [1]), quam necesse sit: non enim tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quaerenda esse; quin etiam obesse plerumque iis, qui discere velint, auctoritatem eorum, qui se docere profiteantur: desinere enim illos' suum judicium adhibere, et id habere ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum videant. Ex iis igitur, quae de Ciceronis philosophandi ratione exposuimus, Ciceronem academicum Socraticum potius, quam solum novae Academiae asseclam dicendum esse, concludi posse videtur [2]).

Caput quartum.

DE CICERONIS PHILOSOPHICA ORATIONE.

XXIII.

His expositis, sequitur, ut, quomodo Cicero de conformanda lingua latina ad philosophiae usum meritus sit, exponamus. — Cicero, uti omnino linguam latinam ad summam perfectionem absolutionemque excoluit; ita eandem ad philosphiam ejusque notiones exprimendas egregie conformavit. Quam innumerabilia ei in suscipiendo hoc et peragendo labore objecta fuerint obstacula atque impedimenta, vix est, quod mo-

---

1) N. D. I. 5.

2) V. Frank l. c. p. 166.

neam [3]). Etenim ante Ciceronem doctrinae philosophicae apud Romanos graecis tantum litteris continebantur: romana juventus graecis erudiebatur institutionibus, nec ullus fere Romanorum latina lingua ad philosophandum utebatur. Hinc mira erat romanae linguae penuria atque egestas. Cicero igitur, quum omnes philosophiae partes latinis litteris illustrandi cepisset consilium, novam quasi ad latine philosophandum creare et effingere orationem coactus erat. Et vero in hac quoque re princeps atque summus extitit artifex. Multa enim nova vocabula et terminos, quibus graeca in patrium sermonem converteret, ingeniosissime invenit, atque adeo novis rebus nova nomina posuit [4]), alia verba philosophica notione donavit, et omnino philosophicam linguam mirum in modum auxit atque ditavit [5]), et suo studio ita excoluit ac perfecit, ut de omnibus philosophiae quaestionibus dilucide eleganterque disputari posset [6]). Quam-

---

3) Cf. Meiners *vermischte phil. Schriften.* T. I. p. 284 sq. qui sane quam eleganter de his difficultatibus exponit.

4) Cf. Cic. Fin. III. 1. 2.

5) Cf. Funccium de virili aetate L. L. T. II. p. 65. et 121 sq. et Plexiaci Lexic. philos.

6) Saepius hac de re nimium gloriatur. Cf. N. D. I, 4. Fin. III, 2. Tusc. Qu. I. 3. II, 15. Plutarch. Vit. Cicer. c. 37. v. Wyttenbach. ad Cic. N. D. l. c. p. 718. ap. Kreuzerum.

quam, quod facile ei condonandum, nonnunquam in vertendis graecis vocabulis incertus fluitat, nec satis accurate diversa verba distinguit [7]). Neque hoc negari potest, vel ipsam Ciceronis orationem in enucleandis atque exponendis subtilioribus notionibus saepe numero perspicuitate, facilitate, mobilitate destitutam esse; sed, si nobiscum reputamus, Ciceronem primum fuisse, qui latinam linguam ad philosophiae usum conformare aggressus sit, ipsam vero latinam linguam ad exprimendas philosophicas notiones haud natam factamque esse, nemo profecto hujus rei culpam in Ciceronem transferet. Ceterum in philosophicis scriptis ejus ingenium, poeseos veneribus, omniumque doctrinarum varietate et copia saturatum, et philosophiae subtilitate subactum, ejusque ubertate nutritum praeclare enitescit. Enimvero in conjun-

7) V. c. sic in uno loco dicit, *nosci*, *percipi*, *comprehendi*; in altero *comprehensi*, *percepti*, *cogniti* distinguit; aliis locis has voces eadem significatione adhibet, et κατάληψιν vertit vel *cognitionem*, vel *perceptionem*, vel *comprehensionem*. Sic non satis sibi constitit Cicero in interpretandis graecis verbis: ὁρμᾶν et ὀρέγεσθαι: quorum illud plerumque est appetere, hoc expetere; ὁρμὴ respondet fere nostro: Trieb, non Begierde (h. e. ἐπιθυμία atque vitiosa est), ὄρεξις significat vehementiorem animi motum. Cf. Lilie comment. I. de Stoicor. phil. morali p. 51. V. omnino de hac re doctissimam adnotationem Henr. Stephani ad Sext. Emp. I. 2. p. 199. Fabr.

gendis sobrie moderateque orandi praeceptis [8]) cum philosophiae gravitate atque austeritate admirabilem quandam artem probavit. Inter publicam enim eloquentiam et contritum vulgaremque, atque tetricum ac difficilem sermonem quum semper medium tenere studuerit, aequabile quoddam et temperatum quietumque extitit orationis genus [9]). Verum, etsi plerumque in philosophicis disquisitionibus ejus sermo placidi fluminis instar decurrat, semper tamen prudenter stilum ad rei quam pertractavit momentum concinnavit [1]). In subtilioribus enim argumentis exponendis oratio plerumque pura est atque dilucida [2]), nullis adhibitis sermonis illecebris ac lenociniis; quum vero

---

8) Cf. Cic. de clar. orat. 90. Fin. II, 5. cf. Funccius l. c. p. 113 sq. Cic. Off. I, 1. ubi v. Beier. Fin. I, 3. Ipse Cicero hanc perfectam philosophiam judicavit, quae de maximis quaestionibus copiose posset ornateque dicere. V. Tusc. Qu. I, 3. 4.

9) Cf. Cic. Offic. I, 1. p. 8. edit. Beier.

1) Tanquam exemplar sibi hac in re proposuisse videtur Platonem et veteres Academicos ac Peripateticos, qui ipsa illa, quae subtiliter disserenda erant, polite apteque dicere studebant: deinde, quae requirebant orationem ornatam et gravem, magnifice dicta sunt ab illis atque splendide: grandia ornate, enucleate minora dicere volebant. Fin. IV, 3.

2) Cic. Fin. III, 5. ubi addit: Omne quod de re bona dilucide dicitur, mihi praeclare dici videtur; istius modi autem res dicere ornate velle, puerile est; plane autem et perspicue expedire posse, docti et intelligentis viri. —

de rebus grandioribus, veluti de divino numine, ejusque virtutibus, de mundi pulchritudine, ordine atque ornatu, de moralis doctrinae gravissimis argumentis verba facit, atque ipsae res verba rapiunt: oratio sublimiore quasi spiritu exsurgit, et summo romani sermonis splendore ac majestate, et beatissima quadam ingenii ubertate elucet. Omnino omnia Ciceronis philosophica scripta miro quodam lepore, venustate, urbanitate, attico sale facetiisque ornata sunt. Rerum difficultatem sermonis elegantia atque suavitate elevare studuit [3]). Inprimis mirifica quadam pulchritudine atque magnificentia sese commendant quibus philosophica sua scripta exordiri solet prooemia: in quibus principem haud dubie locum obtinent et illud, quo secundum academicorum librorum, et illud, quo quintum librum de Finibus Bonorum et Malorum auspicatur [4]). Quae quidem omnia si perpendimus,

---

3) Cf. Ernestii Dedicat. ad Chr. Lud. Stiglizium p. LXIII.

4) Memorabilis locus de Ciceronis prooemiis extat in ep. ad Attic. XVI, 6. ubi "Nunc, inquit, negligentiam meam cognosce. De Gloria librum ad te misi; at in eo prooemium id est, quod in Academico tertio. Id evenit ob eam rem, quod habeo volumen prooemiorum; conjeci id in eum librum, quem tibi misi. Cum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum, itaque statim novum prooemium exaravi; tibi misi." de quo loco recte disputavit Middleton Life of Cicero, in annott. T. IV. s. IX. p. 258 sq. — Ceterum de Ciceronis in phil. scriptis

Ciceronem praestantissima Platonis monumenta, in quibus divina sapientiae praecepta divino quodam orationis genere tradita sunt, tanquam exemplaria, imitanda non solum sibi proposuisse, verum etiam prope ad illa accessisse, dilucide videtur apparere. In eo vero summa antiquitatis perfectio atque absolutio clarissime exsplendescit, quod tam arcto argumentum cum orationis forma junxerunt vinculo, ut totum quoddam pulchrum, omnibus suis numeris absolutum, inde effloresceret.

---

oratione hoc mihi videtur adjiciendum, quod duplici modo orationem suam in iis excoluit atque exornavit; severa enim philosophiae argumenta et disquisitiones versibus ex poetis admiscendis exhilarare, et exemplis ex historia petitis illustrare studuit. — In qua quidem re Philonem, qui et lecta poemata et loco adjungebat, sequutus, mirum delectum adhibuit miramque elegantiam. V. Tusc. Qu. II, 11. ubi addit: "postquam adamavi hanc quasi senilem declamationem, studiose equidem utor poetis nostris; sed sicubi illi defecerunt, verti multa de graecis, ne quo ornamento in hoc genere disputationis careret latina oratio." Item in exemplis ex historia haustis laudandis magnum acumen probavit; saepius igitur carpit Chrysippum, quem in omni historia curiosum quidem esse dicit, propterea quod saepe in scriptis suis permulta quidem collegerit, sed ita tetra quaedam, ut ea fugiat et reformidet oratio. V. Tusc. Qu. I, 45. Divin. I, 20. II. 56. 65. 70. Cf. Bake de Posidonio ejusque reliquiis. p. 31.

Caput quintum.

DE CICERONIS IN PHILOSOPHICIS LIBRIS FONTIBUS.

XXIV.

Ad dijudicanda recte atque aestimanda Ciceronis in philosophiam ejusque singulas partes merita, inquiramus necesse erit, e quibus fontibus disputationes suas philosophicas hauserit, ut, quantum philosophus noster ab aliis mutuatus fuerit, quantumque ejus ipsius ingenio debeatur, et, quae iis, quae de graecorum philosophorum doctrinis tradidit, tribuenda sit fides atque auctoritas, facile perspiciatur. Quod igitur jam supra verbo attigimus, id nunc paullo fusius nobis atque accuratius persequendum erit: quamquam, quum haec fontium disquisitio miris obstructa sit difficultatibus, et subtilissimam omnium graecarum disciplinarum cognitionem requirat, neque arctis quibus haec disputatio circumscripta est finibus contineri possit; vix a me, qui, quum a ceteris rebus satis tenuiter instructus, tum non ea quae postulatur doctrina munitus, nunc primum in hanc arenam pedem infero, ut totum hunc locum perpurgem atque complanem, flagitari poterit. Equidem, quantum per vires meas et per temporis angustiam licuit, quaedam quasi hujus disquisitionis capita, e quibus id, quod ad hujus disputationis finem spectat, commonstrare me posse puto, designavi;

aliquando vero, vberiore doctrinae copia imbutus, si plus mihi concessum erit otii, ad eundem fortasse laborem suscipiendum redibo.

XXV.

Maximae in Ciceronis fontibus investigandis oboriuntur difficultates his potissimum de caussis. Ac primum quidem Cicero, quod incredibile ejus erat studium atque industria, omnium paene antiquitatis philosophorum opera perscrutatus, quae in iis sibi placuerint, libavit et in usum suum convertit. Porro in pertractando philosophico quodam argumento non unum sequutus est auctorem, sed ex pluribus, qui de eo scripserant, maxime probabilia atque verisimilia decerpsit et in scriptum suum transtulit [5]). Horum autem philosophorum monumenta permulta temporis iniquitate aut prorsus interciderunt, aut corrupta atque mutilata ad nostram aetatem pervenerunt. Denique summa nobis objicitur difficultas eo, quod Cicero fontes, e quibus hausit, haud raro aut plane reticet, aut obiter tantum indicat, aut ibi tantum auctores appellat, ubi eorum sententia sibi videtur

5) Cf. Cic. Fin. I, 2. Quid enim est a Chrysippo praetermissum in Stoicis? legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mnesarchum, Panaetium, multos alios, inprimisque familiarem nostrum Posidonium.

reprehendenda. E quo efficitur, eum etiam in iis plerumque locis, in quibus auctorum nomen non addidit, illorum et rationem et orationem tacitum sequutum esse [6]).

XXVI. DE RATIONE, QUA E GRAECORUM PHILOSOPHORUM SCRIPTIS HAUSERIT.

Primum, qua ratione Cicero graecorum philosophorum scriptis usus sit, atque argumenta, ex illis hausta, pertractaverit, dispiciendum erit atque explanandum. Quodsi Ciceronis opera philosophica universa accurata lectione pervestigamus, triplicem in iis institisse videtur viam. Etenim Ciceronem, adhuc adolescentulum, varia graecorum auctorum scripta in latinum sermonem convertisse, veluti Platonis Timaeum et Protagoram, Xenophontis Oeconomicum, alia, jam supra vidimus. In iis, quod probe tenendum, non anxie singula graeca verba ursit, sed paullo liberius versatus est; sententias tamen sententiis semper reddidit. De duabus Demosthenis et Aeschinis orationibus, quas aliquanto solutius converterat, ipse [7]) haec consignavit verba: Converti enim, inquit, ex Atticis duorum eloquentissimorum

---

6) Cf. Lynden. de Panaetio Rhodio pag. 102

7) de optimo genere oratorum. c. V.

nobilissimas orationes, inter se contrarias, Aeschinis Demosthenisque: nec converti, ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem, et earum formis, tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis: in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere; sed genus omnium verborum vimque servavi. Non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tanquam appendere.

XXVII.

Jam vero in aliis philosophicis scriptis hanc sequutus est rationem, ut unum potissimum quem sequeretur auctorem ob oculos haberet et ad eum suum imitandi studium componeret, nec tamen eum converteret, sed ex ejus sententiis atque decretis tantum delibaret, quantum ad rem ac consilium suum maxime facere videbatur [8]). Neque ceteros, qui idem argumentum pertractaverunt, prorsus neglexit; sed, quae in singulis rebus ab iis elegantissime erant aptissimeque disputata, elegit, quae vero ab aliis minus recte dicta erant, notavit, et, ubi ille quem sequitur auctor rem non satis accurate videbatur atque copiose exponere, alios in consilium adhibuit scriptores, et quae ab illo praetermissa erant, ex his supplevit. Sed

---

8) Hoc vocare solet Cicero *sequi*.

probe tenendum est, Ciceronem iis, in quibus graecos auctores sequutus est, suum ipsum adjunxisse judicium: quod quidem disertissimis ipse verbis passim profitetur, veluti in initio Officiorum [9]): Sequemur igitur, inquit, hoc quidem tempore, et hac in quaestione potissimum Stoicos, non ut interpretes; sed, ut solemus, e fontibus eorum, judicio arbitrioque nostro, quantum quoque modo videbitur, hauriemus. Locus de hac re classicus extat in principio libri primi de Finibus B. et M. [1]). Quod si nos, inquit, non interpretum fungimur munere; sed tuemur ea, quae dicta sunt ab iis, quos probamus, eisque nostrum judicium et nostrum scribendi ordinem adjungimus: quid habent, cur graeca anteponant iis, quae et splendide dicta sint, neque conversa de graecis? — Quibuscum conferas quae mox [2]) sequuntur verba: Quamquam, inquit, si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poetae fabulas: male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum

---

9) Cic. Offic. I. c. 2. Cf. Offic. II, 17. Panaetius, quem multum in his libris sequutus sum, non interpretatus. Ibid. III, 2. Panaetius, qui sine controversia de officiis accuratissime disputavit, quemque nos, correctione quadam adhibita, potissimum sequuti sumus. Cf. Lynden de Panaetio Rhodio p. 101. Adde ep. ad Attic. XII, 11.

1) Fin. I, 2.

2) Fin. I, 3.

cognitionem divina illa ingenia transferrem; sed id neque feci adhuc, nec mihi tamen, ne faciam, interdictum puto. Locos quidem quosdam, si videbitur, transferam, et maxime ab iis, quos modo nominavi, cum inciderit, ut id apte fieri posset; ut ab Homero Ennius, Afranius a Menandro solet [3]). Ceterum in imitandis atque exprimendis graecorum sapientum scriptis tam insigni arte versatus est, ut sententias illorum atque argumenta philosophica non anxie collegisse, sed ex suo ipsius ingenio expromsisse videatur.

Hanc quam diximus rationem ingressus est Cicero in libris de Officiis, in quibus, praeterquam quod Panaetium potissimum sequutus est, etiam tum ab aliis Stoicis, tum vero a Platone atque Aristotele, qui quidem similia pertractaverant argumenta, haud paucas sententias mutuatus est; item in libris de Republica, de Legibus, in primo et quinto libro de Finibus Bonorum et Malorum, aliis [4]).

---

3) Huc quoque pertinet Plin. Hist. nat. I. praef. "Scito enim, conferentem auctores me deprehendisse a juratissimis et proximis veteres transscriptos ad verbum, neque nominatos: non illa virgiliana virtute, ut certarent; non ciceroniana simplicitate, qui in libris de Rep. Platonis se comitem profitetur, in Consolatione filiae, Crantorem, inquit, sequor: item Panaetium de Officiis: quae volumina ejus ediscenda, non modo in manibus quotidie habenda, nosti."

4) In Consolationis libro Crantorem quidem, Academicum, potissimum sequutus est. V. Plin. Hist. nat. l. c., sed

XXVIII.

Tertia denique qua Cicero e graecis philosophis disputationes suas hausit ratio ita est comparata, ut in elaborando philosophico quodam argumento non unum potissimum, quem sequeretur, sibi proponeret auctorem, sed ex variis variorum philosophorum qui de eadem re scripserant sententiis atque decretis, quae sibi maxime probabilia visa erant, eligeret atque singula quasi membra in corpus quoddam componeret. Hanc viam inivit in secundo libro de Natura Deorum, in libro de Senectute et Amicitia, maximam partem in Tusculanis quaestionibus, aliisque libris.

XXIX. QUIBUS IN SINGULIS CICERO LIBRIS PHILOSOPHICIS USUS SIT FONTIBUS, BREVITER INDICATUR.

His praemissis, jam age progrediamur ad rem ipsam, et singula deinceps Ciceronis philosophica

---

ex aliorum quoque doctissimorum hominum scriptis, quaecunque erant in eam sententiam disputata, in sua scripta transtulit, (V. ad Attic. XII, 21. 22.) illustrans sua praecepta exemplis ex historia romana petitis, summorum hominum, qui iidem maximam calamitatem insigni constantia pertulerant. — Aliqua hujus libri fragmenta nobis servavit Lactantius. Liber primus, qui sub titulo Consolationis in Ciceronis scriptis circumfertur, spurius est, quod jamdudum observarunt VV. DD. V. Middleton Life of Cicero. T. II. S. 8. p. 344.

scripta persequentes, quibus in iis fontibus usus sit, et qua ratione eos adhibuerit, quantum possumus, evestigemus atque disquiramus. In qua quidem re animi nostri attentio quum ad ea, quae ipse Cicero vel de industria indicavit, vel obiter passim notavit, advertenda atque dirigenda erit: tum plurimum sane lucis ad nos redundabit ex accurata aliorum philosophorum qui nobis integri servati sunt comparatione: postremo ex rebus ipsis, quas Cicero pertractavit, multa de earum auctoribus conjiciendo assequi poterimus. Denique minime praetermittendi erunt quibus in philosophia usus est doctores, quibus quidem, uti mox videbimus, plura scita atque decreta, in nostri philosophi scriptis consignata, adscribenda videntur.

XXX. DE ACADEMICIS LIBRIS.

Plurima in his libris Cicero debere videtur doctoribus suis, Antiocho atque Philoni. Ipse de his libris in epistola ad Atticum [5]) dicit: Sunt enim vehementer πιϑανὰ antiochia; quae diligenter a me expressa, acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum; si modo is est aliquis in nobis, cet. Antiochus etiam, qui nimirum e nova Academia remigravit in veterem, contra Philonem librum, Sosum inscriptum,

5) ad Attic. XIII, 19.

confecit, quem adhibitum a se laudat Cicero [6]). Philonis quoque duo in hac scriptione commemorantur libri [7]). In primo libro Varro, Antiochi, quintae Academiae conditoris, partes suscipit, et usque ad caput XII. veteris Academiae et Stoicorum rationem exponit. Haec omnia Cicero vel ex Antiochi scriptis hausta, vel ab ipso accepta tradere videtur. Multa autem insunt, quae e Platone desumta videntur. — Capite XIII. Cicero ab Arcesila incipit et in Carneade desinit: quae vel Philonis libris vel auditioni eum debuisse, vix est, quod dubitemus. In libro secundo Lucullus disputationem Antiochi contra Academicos et Philonem, ab Antiocho acceptam, ingreditur. Quae vero a capite XX. usque ad XXXIV Cicero singulis respondit, haud dubie tantum non omnia mutuatus est a Philone. Ceterum exponendis horum librorum fontibus eo brevius defungi mihi licere putavi, quod in eodem argumento versatus est Huelsemannus, V. Cel., qui in animadversionibus ad hos

---

6) Academic. I, 4. §. 13. ubi hic liber innuitur. — Academ. II. 4. §. 12. ad quem locum recte observat Goerenzius pag. 27., ipsam Luculli disputationem ex eo maximam partem haustam esse.

7) De Philone fuse egit Hülsemannus in commentar. ad Academ. p. 451 sq. Cf. Academ. II, 4. §. 11. — De Antiocho cf. eundem Hülsemann. l. c. p. 450.

libros ubique fere fontes, quos Cicero adiisse videtur, aperire enisus est.

XXXI. LIBRI DE NATURA DEORUM.

In primo libro de Natura Deorum, in quo Epicuri ratio de hoc argumento exponitur, compluribus Epicuri libris usus esse videtur [8]). Epicurus libros *περὶ φύσεως* scripsit, quos haud dubie inspexit Cicero [9]), porro *περὶ ὁσιότητος ἢ Ἡγησιάναξ* [1]), quorum meminit Cicero, quum de Epicuro dicit: At etiam de sanctitate, de pietate adversus deos libros scripsit. — In doctrina de anticipatione Epicuri [2]) quae *πρόληψις* dicitur, adhibuit Epicuri volumen, inscriptum *περὶ κριτηρίου ἢ κανὼν* [3]). Saepius ipsius Epicuri verba recitat [4]). Nec locus in capite XXI.

---

8) Cf. N. D. I. 18. ibique Interpp. Diog. Laert. Epicuri ep. ad Herodot. X. 46. 50.

9) Vide de hujus scripti fragmentis, nuper repertis, quae paucis perstrinxit Kreuzerus ad N. D. I. 18. p. 85.

1) V. Diog. Laert. X, 27. ibique Menagius.

2) N. D. I, 16. de anticipatione Epicuri, cujus rationis vim atque utilitatem ex illo coelesti Epicuri de regula et judicio volumine accepimus. vbi v. Davis. et Kreuzer. p. 74 sqq.

3) Diog. Laert. X, 27.: de eodem argumento egit Epicurus etiam in ep. ad Herodot. ap. Diog. Laert. X, 33.

4) Veluti c. 17. V. Diog. Laert. X, 139. et quae alia Davisius ad Ciceronis locum attulit.

consignatus silentio praetermittendus videtur, ubi Cotta, sub cujus persona Cicero latet, dicit: Zenonem, quem Philo noster coryphaeum appellare Epicureorum solebat, quum Athenis essem, audiebam frequenter, et quidem ipso auctore Philone; credo, ut facilius judicarem, quam illa bene refellerentur, quum a principe Epicureorum accepissem, quemadmodum dicerentur. Haec verba etiam ad Ciceronem, qui idem Zenonem, uti supra vidimus, audivit, transferri possunt. — In disputatione, contra epicuream rationem de Natura Deorum academice a Cotta instituta, praeter alia, quae evestigari nequeunt, quaeque fortasse doctorum suorum institutioni debuit, uti e loco modo laudato effici quodammodo possit, inprimis Posidonii librum περὶ θεῶν in usum suum adhibuisse videtur [5]. — Posidonius quoque Stoicorum peculiare decretum, ut sidera ratione uti dicerent, et in animalibus numerarent, contra Epicureos defendit [6]: eodemque argumento contra Vellejum utitur Cotta. Haud pauca tamen ex ipsius Ciceronis ingenio fluxisse videntur. — In libro secundo Stoicorum de natura

5) Cf. N. D. I. 44. De hoc libro vid. Bakius de Posidon. p. 235.

6) Cf. N. D. I, 14. et Bakius p. 65. — Omnino notandum, plura Cottam ad refellendam Epicuri sententiam protulisse, quae e Stoicorum potius sententia, quam Academicorum dicta sunt. V. infra. Cf. cap. 31. ibiq. Kreuzer.

deorum sententia explanatur. Hic locus antiquitus a principibus stoicae disciplinae philosophis pertractatus est, a Cleanthe [7]), a Chrysippo, qui etiam librum *περὶ προνοίας* scripsit, ab Antipatro Tarsensi, qui duos libros *περὶ φύσεως* confecit [8]), a Posidonio, qui libros *περὶ θεῶν* scripsit [9]). Quorum quidem omnium scripta non solum lectitasse, verum etiam ad hanc suam disputationem eum adhibuisse, luculenter demonstrari potest. — Ex Cleanthe multa hausit. Conferas caput quintum: item capite nono, decimo quinto Cleanthis vestigiis institit. Adde caput XXIV. — Chrysippus, qui, inquit Cicero [1]), quamquam est acerrimo ingenio, tamen ea dicit, ut ab ipsa natura didicisse, non ut quae reperisse videatur, non solum multum sequutus est sententiam, sed etiam subinde ejus ipsius verba expressit [2]). Tum vero etiam Zenonem adhibuit, cujus ratiocinationem capite VIII. affert [3]), et paullo post ipsius verba exprimit. In

7) N. D. I, 5. Plura notavit Wyttenb. in select. schol. in Cic. N. D. prooem.

8) N. D. I, 5. Diog. Laert. VI, 17.

9) V. Bakium de Posid. p. 44. In his libris dixit, mundum esse ipsum Deum, tum, Deum esse spiritum animalem et igneum, porro mundum a providentia administrari.

1) N. D. II, 6.

2) Cf. N. D. II. c. 14. 24.

3) V. Davis. ad h. l. ap. Kreuzer. p. 241.

capite XXII. Zenonis definitionem naturae sequutus est. Adde cap. XXIV. Posidonii denique libros Ciceronem inspexisse, concludi potest ex iis, quae sub finem primi libri addit. Ceterum in decretis stoicis tradendis uberius exposuit et fusius, non ut Zeno solebat, brevius angustiusque conclusit [4]). At enimvero non genuinam Stoicorum de natura deorum doctrinam expressit Cicero, sed stoicis decretis Socratis, Platonis, et Aristotelis decreta admiscuit: nisi forte haec novatio facta est a recentiore quodam Stoico, qui, antiquorum Stoicorum relicta asperitate, ad Socraticorum rediit elegantiam ac suavitatem. Quintus enim Lucilius Balbus, qui haec tradit, auditor Posidonii fuit [5]). Cicero igitur plura in hac disputatione praeceptorum suorum doctrinae debere videtur. Jam ad propositum revertamur. Capite VI Socratis dictum apud Xenophontem [6]) Stoicis immiscuit. Cap. XII Platonis sententiam [7]) sequutus est. Cap. XV sq. Aristotelica admiscuit. Cap. XVII praeclarissimum locum integrum ex Aristotele desumsit. — Libro III de Natura Deorum Cottae Academici contra stoicam rationem disputatio continetur. In hac acutissima et

---

4) V. N. D. II. 7. Kreuzer. ad l. c. p. 241.
5) V. N. D. I, 44. Bakius de Posidon. p. 22.
6) Xen. M. S. I. 4, 8. v. Davis. ad l. c. ap. Kreuzer. p. 237.
7) Plat. Phaedr. p. 344. v. Davis. ad l. c. ap. Kreuzer. p. 255.

subtilissima disputatione plurima fluxisse videntur ex carneadeis disputationibus, quas Clitomachus, discipulus Carneadis, quum hic nihil ipse scripsisset, in litteras redegit [8]), et ipso Cicerone [9]) testante, et vero referente eadem Sexto Empirico [1]). Quae capite XV Cicero protulit, et quae antecedunt, eademque partim ex Aristotele ducta, Carneadis esse, ostensum ivit Tennemannus in histor. philosophica [2]). Inde a capite XVII usque ad cap. XXV Cotta, carneadeis munitus armis, contra Stoicos disputat.

XXXII. DUO LIBRI DE DIVINATIONE.

In primo libro Stoicorum de hoc argumento sententia explicatur, multis tamen admixtis e Platone aliisque philosophis. Plurima mutuatus videtur a Chrysippo, qui varia de hoc philosophiae loco, veluti librum περὶ χρησμῶν, scripsit [3]). Etiam Babylonius Diogenes, Stoicus, auditor Chrysippi, magistrum suum subsequens, unum librum de Divinatione edidit [4]). Posidonius quinque libros de Divinatione

---

8) Sext. Emp. adv. Math. IX, 182. usque ad 192.
9) N. D. III. 12. 17.
1) adv. Math. IX. 140 sq.
2) Tenn. *Gesch. d. Phil.* T. IV. p. 351.
3) V. Cic. de Divin. II, 65. ibiq. Davis. Cf. I, 20. 38. 49. 52. II, 56. 63.
4) Divin. I, 3. 38. II, 49.

scripsit (περὶ μαντικῆς), quos usurpavit Cicero [5]. Porro ex Cratippi quoque scriptis hausit paucula quaedam [6]): tum ex Antipatro [7]). — Ex aliis philosophis maxime Platonem atque Aristotelem in usum suum convertit [8]): denique ex multis aliis philosophis varias in hanc rem sententias desumsit [9]): plura quoque ex poetis, veluti Homero, aliis. — In libro secundo de Divinatione Stoicorum ratio confutatur. Plurima ex hac subtilissima disputatione tribuenda videntur ingenio Carneadis. Etenim, inquit ipse Cicero [1]), nobismetipsis quaerentibus, quid sit de divinatione judicandum, quod a Carneade multa acute et copiose contra Stoicos disputata sint. — Multis quoque partibus in hoc libro vestigia Panaetii, qui locum de divinatione, e sententia Lyndeni [2]), peculiari scripto

5) Cf. Divin. I. 3. 30. 52. 55. 57. II. 11. 21. 15. 42.
6) V. Divin. I. 32. 55. cf. II. 52.
7) Div. I. 20. 38. 52. 54. II, 49. — Etiam ex Antiphonte hausit, de quo v. Menag. ad Diog. L. II. 46. cf. Cic. Divin. I, 20. 51.
8) Divin. I. 29. totum locum e Plat. de Rep. IX. p. 502. convertit. Adde I, 30. — I, 37. ex Plat. Jone p. 145. C.! — Phaedr. p. 343. Cf. I, 29 sq. et c. 51, 115. Cf. Platon. Polit. IX. init. De Aristotele v. I, 25. 28. 38. II, 62. Aristotel. περὶ ἐνυπνίων c. 3. Problem. sect. XXX. p. 471. — Divin. I, 49. Aristot. polit. I, 11.
9) Veluti cap. 39.
1) Divin. I. 4. cf. c. 7. 13. II. 3.
2) de Panaetio p. 71.

pertractasse censendus est, persequutus videtur. Ipse Cicero hoc innuit his verbis [3]): Videsne, me non ea dicere, quae Carneades, sed ea quae princeps Stoicorum Panaetius dixerit. — Panaetius enim, quamquam non ausus est negare, vim esse divinandi, dubitare tamen se dixit [4]).

XXXIII. LIBELLUS DE FATO.

Posidonius hanc quaestionem peculiari scriptione (περὶ εἱμαρμένης, de fato) persequutus est [5]): qua Ciceronem usum esse, ex loco quodam (c. III.) apparet, ubi Posidonius reprehenditur. — Chrysippi de fato sententiam ex ipsius scriptis proponit atque refellit [6]). Etiam Cleanthis scripta de hoc philosophiae loco inspexisse Ciceronem, patet ex capite septimo. In contentione περὶ δυνατοῦ ejusdem cognominem librum, et contra eum Diodori de hoc argumento scripta adhibuit; quamquam nec hujus sententiae omnino assentit [7]). In primis Carneadis qui Stoico-

3) Divin. II. 47.

4) V. Divin. I. 3. 7. II, 42. Academ. II, 33. Lynden. de Panaet. p. 71.

5) Ejus de fato sententiam exposuit Bakius p. 45 sq. p. 47 sq. p. 237.

6) V. de Fato c. 4. 6. 7. 8 etc.

7) V. cap. 6. 7. 9.

rum de fato doctrinam haud probavit disputationes [8]) in usum suum convertit.

XXXIV. QUINQUE LIBRI DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM.

Liber primus agit de Epicuri ratione: quam, inquit [9]), a nobis sic intelliges expositam, ut ab ipsis, qui eam disciplinam probant, non soleat accuratius explicari; verum enim invenire volumus, non tanquam adversarium aliquem convincere. Conferas quae mox sequuntur: Te, (sc. Ciceronem) enim, inquit Torquatus, judicem aequum puto: modo quae diceret ille bene noris. — Nisi tu, respondet Cicero, Phaedrum mentitum aut Zenonem putas, quorum utrumque audivi, cum mihi nihil sane praeter sedulitatem probarent, omnes mihi Epicuri sententiae satis notae sunt; atque eos, quos nominavi, cum Attico nostro frequenter audivi, cum miraretur ille utrumque, Phaedrum autem etiam amaret: quotidieque inter nos ea, quae audiebamus, conferebamus, neque erat unquam controversia, quid ego intelligerem, sed quid probarem. Adde haec verba [1]): —

8) V. cap. 11. 14.

9) Fin. I. 5.

1) Fin. I, 8.

Quid enim me prohiberet, inquit Cicero, Epicureum esse, si probarem quae ille diceret? Quamobrem dissentientium inter se reprehensiones non sunt vituperandae: maledicta, contumeliae, tum iracundae contentiones, concertationesque pertinaces, indignae mihi philosophia videri solent. — Haec tria loca integra mihi apponenda duxi, quoniam ad dijudicandam fidem auctoritatemque, quae Ciceroni de Epicuri philosophia tribuenda sit, maximi momenti atque ponderis sunt. — Neque vero Cicero in iis, quae de hac disciplina tradidit, doctorum suorum auctoritatem sequutus est, iisque temere credidit; sed ipsos fontes adiit atque ex iis disputationes suas hausit. Praeter alia Epicuri scripta, quorum recensum habet Diogenes Laertius [2]), inprimis ad partes vocavit illius epistolam ad Menoeceum [3]), et *κυρίας δόξας* [4]). Saepissime etiam Epicuri ipsius verba expressit [5]) —

---

2) X, 27. ubi cf. Menag. p. 458.

3) V. Diog. L. X, 122 sqq. Cic. Fin. I. 10.

4) Fin. I, 11. Diog. L. X, 139. Fin. I, 12. Diog. L. X. 140. — Fin. I, 16. Diog. L. X. 151. — Fin. I, 9. (v. Diog. L. X. 137.) ipsius Epicuri scripta respexit. — Divin. II. commemorat Cicero Epicuri librum de Voluptate (v. Menag. ad Diog. L. X. 28. p. 458.): quem in hac disputatione haud dubie usurpavit.

5) Fin. I, 18. Diog. L. X. 132. 140. Fin. I, 19. Laert. X, 144. 145. — Fin. I, 20. Laert. X, 148. 145. — Fin. II, 7. Laert. X, 143. — Fin. II, 15. 28. Laert. X, 130. — Fin. II,

Ex loco supra allato [6]) probabile mihi videtur, Ciceronem etiam Phaedri inprimisque Zenonis scripta in consilium adhibuisse. His certe ea videntur tribuenda esse, quae ab Epicureis post Epicurum in hujus disciplina novata dicuntur duobus hujus libri locis [7]); quod recte observavit Goerenzius. V. Cel., in Introductione ad hos libros [8]). In secundo libro, in quo Epicuri sententia refutatur, eosdem fontes adiit; quae vero contra Epicurum monuit, partim Stoicorum disquisitionibus [9]), partim ipsius Ciceronis ingenio tribuenda videntur. — In libro III Stoicorum ratio explanatur. Disputatio haec hausta est ex Zenonis, Chrysippi et maximam partem ex Diogenis scriptis [1]). — In libro IV., ubi stoica ratio impugnatur et peri-

---

30. Laert. X, 22. — Fin. II, 31. Laert. X, 139. — Fin. II. 31. Laert. X, 18.

6) Fin. I. 5, 16. cf. Goerenz. Introd. ad hos libros p. XXIV.

7) Fin. I. 9, 31. et 20, 66.

8) p. XXV.

9) Stoicorum enim contra Epicurum saepe peculiaria scripta memorantur. V. Bakium de Posidon. p. 27. — Multa inprimis ex Chrysippi περὶ τοῦ καλοῦ καὶ τῆς ἡδονῆς libris mutuatus videtur Cicero. Cf. Fin. II. 14, 44. et Goerenzii Introd. laud. p. XXV.

1) V. Fin. IV. 21. et alibi de Zenone: de Chrysippo qui περὶ τελῶν scripsit, III, 20. IV, 11. — de Diogene III. 10. 15. Cf. quae Cicero Fin. III. 5-8. 10. 13-20. enarravit, cum iis quae tradita sunt a Diogene Laertio VII. 84-131., et a Stobaeo eclog. eth. II, 166-184.

patetica defenditur, multa, uti videtur, ex Carneadis, qui pugnare non destitit, quae de bonis et malis appellentur, non esse Stoicis cum Peripateticis controversiam, sed nominum [2]), contra Stoicos disputationibus tacitus mutuatus est: nec pauca ad Stoicorum sententiam evertendam ex peripatetica philosophia desumsit [3]). — In libro V Peripateticorum ratio exponitur: cujus fontes ipse indicavit. Capite enim quinto Theophrasti liber de beata vita commemoratur: in quo, Cicero ait, multum admodum fortunae datur. Quod si ita se habeat, non possit beatam vitam

2) Fin. III. 12.

3) Docte hac de re atque subtiliter exposuit Goerenzius in Introductione ad hos libros p. XXV.: qui quidem, Stoicis objici academicam sententiam, quatenus a Polemone exculta est, Ciceronemque haec Polemonis non tam ex hujus scriptis petiisse, quam ex Philonis, qui solus ipsi in Academicis magister fuerat, vel institutione vel libris hausisse videri, judicat. Quae quidem sententia quamquam multa habet, quibus sese commendet; ab omni tamen parte haud firmissima videtur. Immo vero Ciceronem in hoc quoque libro more suo non iis, quae a doctoribus suis acceperat acquievisse; sed ipsos etiam fontes adiisse, mihi est persuasissimum. Et quod idem vir doctissimus dicit, Philonem eum maxime fuisse videri, qui stoicam ut in reliquis, ita in ethicis sententiam elevantem, tam parum ab academica peripateticaque discrepare diceret, ut ratio probabilis nulla esset, cur Zeno nova rebus nomina imponendo singularem disciplinam condiderit; idem jam multo ante dixit atque contendit Carneades; quod patet ex loco supra laudato.

praestare sapientia. Haec mihi videtur delicatior, ut ita dicam, molliorque ratio, quam virtutis vis gravitasque postulat. Quare teneamus Aristotelem et ejus filium Nicomachum; cujus accurate scripti de moribus libri dicuntur illi quidem esse Aristotelis; sed non video, cur non potuerit patri similis esse filius [4]). Theophrastum tamen adhibeamus ad pleraque, dummodo plus in virtute teneamus, quam ille tenuit, firmitatis et roboris. Simus igitur contenti his; namque horum posteri ita degenerant, ut ipsi ex se nati esse videantur. Cett. Quorum quidem auctorum, a se ipso nominatorum, ipsa scripta Ciceronem usurpasse, etsi mihi quidem est certissimum; tamen hanc peripateticam de finibus sententiam non totam illam quidem, uti censuit Goerenzius [5]) sed maximam partem ex Antiochi expositione fluxisse, lubenter largior eidem viro sagacissimo, qui intelligentissime hanc rem, adhuc parum perspectam, evestigavit, itemque acute detexisse mihi videtur, quae a Tullio sub finem quinti libri objiciantur [6]), ea ad sententiam mere antiocheam spectare; eaque Ciceronem Diodoto Stoico, quem multos annos domo sua secum habuerat, qui-

---

4) V. Davis. ad h. l.

5) L. c. p. XXVII.

6) c. 26, 77. — c. 29, 86.

que antiochea contemsisse memoratur in Academicis [7]), debuisse.

XXXV. TRES LIBRI DE OFFICIIS.

Cicero, hac in quaestione se potissimum Stoicos, inprimis vero Panaetium, sequutum esse, ipse profitetur [8]). Complures enim inde a Zenone Cittieo Stoici de officio (περὶ τοῦ καθήκοντος) scripserunt, veluti Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Diogenes Babylonius, et ejusdem auditor Antipater Tarsensis, Panaetius, Posidonius, Hecaton, Antipater Tyrius, quos accuratissime recensuit Lyndenus de Panaetio [9]) et Beierus, V. Cel., in commentario ad Officia Ciceronis [1]). Ex iis, quos nominavi, potissimum quidem, correctione quadam adhibita, sequutus est Panaetium, qui de hoc argumento tres libros accuratissime scripserat; sed etiam haud pauca sibi vindicavit ex Diogene Babylonio [2]), Antipatro Tarsensi [3]), Hecatone [4]),

7) II. 36, 113.
8) Offic. I. 2. de Panaetio II, 17. III. 2. 3. et ad Attic. XII, 11. XVI, 11.
9) p. 91.
1) Offic. I. c. 2. p. 15 sq.
2) V. Offic. III. 12. §. 51 ibique Beier p. 271.
3) Offic. l. c. §. 51-55. III. c. 23. §. 91.
4) Offic. III. 15. §. 63. ibique Beier p. 297 sq. III. c. 23. §. 89. ibiq. Beier p. 350 sq.

Posidonio [5]), Antipatro Tyrio [6]). Nec pauca debuisse videtur Chrysippo: quod ex pluribus locis, amice cum iis quae nobis relicta sunt illius fragmentis conspirantibus, licet Cicero non ejus nomen addiderit, aperte probari posse, puto. Denique multis in locis, inprimis in iis, quae ad civitatis moderatorem spectant, Platonis scripta politica ob oculos habuit, nec pauca ex iis loca latina oratione vestivit, quae accuratissime designata sunt in editione beieriana. Denique nec peripatetica decreta omnino repudiavit, sed idoneo loco admiscuit [7]). — Sed ut ad Panaetium revertamur, in duobus primis libris, Cicero plurima in iis illi debere videtur. Saepissime enim Panaetii et rationem et orationem tacitus sequutus videtur. Exordia atque illustria exempla ex romana historia petita ipse addidit: quamquam ex illa quoque aliquid ipse Panaetius ad hoc argumentum attulisse videtur, recte suspicante Lyndeno. Nec tamen ita Cicero integram Panaetii disputationem suam fecit, ut nihil in ea praetermitteret: quod quidem dilucide apparet et ex iis, quae supra de Ciceronis aliorum philosophicos libros sequendi more monuimus, et vero e Panaetii loco, a Gellio XIII, 27. servato, qui in Ciceronis libris haud

5) Offic. I. 44. §. 159. III. 2. §. 8.
6) Offic. II. c. 24. §. 86. ubi v. Beier.
7) Cf. Offic. I. 25. sub finem.

deprehenditur [8]). Cicero tum plerumque Panaetii mentionem fecit, ubi ab eo dissentit: ex quo facile est ad intelligendum, eum in aliis quoque locis illius vestigia legisse; praesertim quum ipse disertis verbis dixerit, se potissimum Panaetium in duobus primis libris sequutum esse [9]). — Ad tertium librum de Officiis quod attinet, Cicero ait, se locum a Panaetio praetermissum, qui nimirum honesti et utilis comparationem complectatur, nullius adminiculis explere velle; nihil enim de hoc argumento post Panaetium explicatum esse, quod quidem sibi probaretur de iis, quae in manus suas venissent. Verum tamen uti ex ipso Cicerone intelligimus, hoc argumentum Posidonius pertractaverat. Cicero enim in epistola ad Atticum [1]) haec verba consignavit: Eum locum Posidonius persequutus: ego autem et ejus librum arcessivi, et ad Athenodorum Catonem scripsi, ut ad me *τὰ κεφάλαια* mitteret: quae exspecto: quem velim adhortere et roges, ut quam primum: in eo est *περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος* [2]). — Praeterea alii quoque Stoici de eadem re in libris suis

---

8) Vide Lyndenum de Panaetio p. 100.

9) Vide Lyndenum de Panaetio p. 102.

1) Ad Attic. XVI. 11. De Posidonii libro περὶ καθήκοντος vide Bakium de Posidonio p. 245.

2) V. Bakium de Posidonio p. 246

exposuerant, veluti Diogenes, Antipater, Hecaton: quos quidem Ciceroni cognitos fuisse atque inspectos, ex locis, paullo ante a nobis allatis, luculenter patet [3]).

XXXVI. TUSCULANAE QUAESTIONES.

In libro primo, qui est de contemnenda morte, fuse etiam atque copiose pertractavit locum de animorum immortalitate: quem paene totum ex Platone desumsit [4]), qui hanc doctrinam pluribus scriptis, veluti Phaedro, Menone, Timaeo, decimo libro de Republica, persequutus est, maxime vero in Phaedone [5]). Praeter platonica multa quoque stoica insunt, nondum satis illa notata ab interpretibus, recte observante Wyttenbachio in bibliotheca critica [6]).

---

3) "Nimirum horum libri non item, ut Panaetiani, erant locupletiores doctrina, accurati diligentia, via breves ac faciles, ut eos in describendo conscribendove item facile ac sine negotio Cicero sequi posset." Lynden. p. 112. Cf. Beierum ad Cic. Offic. III. 2. §. 8. p. 196 sq.

4) Cf. cap. 10. 11. 12. 17. 21. 22. 24. Platon. Menon. p. 16. — Tusc. Qu. I, 23. Plat. Phaedr. p. 344.: cujus locum totum Cicero convertit. — Tusc. Qu. I. 30. Phaedon. p. 386 sq. — Tusc. Qu. I. 25. 26. ex Platonis Timaeo hausit. — Tusc. Qu. I. 30. Cicero in animo habuit verba Socratis ap. Plat. Phaedon. p. 377. C. — c. 41. Socratis orationem apud judices habitam e Platonis Apologia expressit. V. Intpp. —

5) V. Wyttenb. de quaestione: Quaenam fuerit veterum philos. usque ad Senecam de animorum immortalitate sententia, pag. XLV sqq.

6) Vol. III. pars I. p. 127.

In secundo libro, qui agit de tolerando dolore, multis partibus Stoicos, tacitus tamen, sequutus videtur. Sic cap. XIII e Stoicorum sententia multis disputat, ut probet, dolorem esse ex rebus mediis. — In libro tertio et quarto tantum non omnia e Stoicorum fontibus hausisse, in aprico positum est [7]). Ipse enim dicit [8]): et primo quidem Stoicorum more agamus, qui breviter adstringere solent argumenta: deinde nostro instituto vagabimur. — Et alibi [9]): Haec sic dicuntur a Stoicis concluduntur que contortius; sed latius aliquando dicenda sunt et diffusius. Sententiis tamen utendum est eorum potissimum, qui maxime forti, et, ut ita dicam, virili utantur ratione atque sententia; nam Peripatetici, familiares nostri, quibus nihil est uberius, nihil eruditius, nihil gravius, mediocritates vel perturbationum vel morborum animi mihi non sane probant. Omne enim malum, etiam mediocre, magnum est; nos autem id agimus, ut id in sapiente nullum sit omnino. — Apprime auctore usus est Chrysippo [1]): cujus tamen vestigia non

7) Cf. III. c. 5.
8) III. 6.
9) III. c. 10.
1) Quae in libro III. c. 14. 24. 28. Cicero dicit, referens etiam et Anaxagorae dictum, et euripideum carmen, haec omnia transtulit a Chrysippo, nomine tamen non addito: quod apparet e Galen. de dogm. Hipp. et Plat. IV. c. 7.

semper anxie videtur pressisse; aliter enim [2]) explicuit caussam, quare tempore sedarentur aegritudines. — Nec Cleanthis scripta neglexisse videtur; certe ejus mentionem fecit [3]). Commemoravit etiam Clitomachi librum, tanquam sibi lectum [4]), quem ille eversa Carthagine misit consolandi caussa ad captivos cives suos: in eo erat disputatio scripta Carneadis, quem ille in commentarium retulit. Cum ita positum esset, addit Cicero, videri forte in aegritudine sapientem, patria capta: quae Carneadis contra dixerit, scripta sunt. Denique appellavit etiam Antiochum [5]). In iis, quae contra Epicureos disputavit, convertit locum ex Epicuri libro περὶ τέλους [6]). — In quarto libro Tusculanarum quaestionum, uti modo monuimus, Stoicos, et potissimum Chrysippum sequutus

---

Tom. V. p. 151. ed. Charter. V. Davis. ad h. l. et Bakium de Posidonio p. 204. Adde Tusc. Qu. III. 22. 25. 31. 33.

2) III. 22. Sed v. Bakium de Posidonio p. 211. Crantor, vetus Academicus, librum de luctu Diog. L. IV. 27. conscripserat: quem librum Ciceronem paene totum suum fecisse in hoc libro, judicat Goerenzius ad Acad. II. p. 244, ut mihi videtur, non omnino recte.

3) cap. 32.

4) cap. 22.

5) cap. 25. Quocirca Carneades, ut video nostrum scribere Antiochum, reprehendere Chrysippum solebat cet.

6) cap. 18. ubi vide Davis.

est. Quia, inquit [7]), Chrysippus et Stoici, quum de animi perturbationibus disputant, magnam partem in his partiendis et definiendis occupati sunt: illa eorum perexigua oratio est, qua medeantur animis, nec eos turbulentos esse patiantur. Peripatetici autem ad placandos animos multa afferunt: spinas partiendi et definiendi praetermittunt. Cicero igitur in animae divisione Platonicos et Pythagoricos [8]), in reliquis autem Stoicos sequutus est [9]). Praeter Chrysippum [1]) Zenonem adhibuit [2]). Notanda sunt verba, quae cap. XIV. leguntur: Habes ea, quae de perturbationibus enucleate disputant Stoici, quae logica appellantur, quia disseruntur subtilius: e quibus tanquam e scrupulosis cotibus enavigavit oratio, reliquae disputationis cursum teneamus, modo satis illa dilucide dixerimus pro rerum obscuritate. — In libro quinto, qui versatur in quaestione, an virtus se ipsa contenta sit ad beate vivendum, hausit ex Platone, Aristotele, Theophrasto, Xenocrate, Speusippo, Polemone, et vero

---

7) Tusc. Qu. IV. c. 5. — Etiam Posidonius librum περὶ παθῶν scripsit.

8) De Pythagora et Pythagoreis vid. Bakium de Posidonio p. 198 sq.

9) Cf. Davis. ad Cic. c. 5.

1) V. cap. 10. 24.

2) V. cap. 6. 21. Diog. Laert. VII, 190.

etiam e Stoicorum libris [3]. Denique Carneadis disputationes Ciceronem in usum suum convertisse, luculenter apparet ex his verbis [4]: Carneadem disputare solitum accepimus, quaecunque dissentientium philosophorum sententia sit de finibus, tamen virtutem satis habere ad vitam beatam praesidii. — In celebri illa philosophiae laudatione [5]) Ciceronem imitatum esse Posidonium, cujus luculenta de hac re loca nobis servavit Seneca [6]), Bakius suspicatus est [7]);

3) Tusc. V. 12. integer locus e Platonis Gorgia expressus. Cf. cap. 13. ubi: Ex hoc igitur, inquit, Platonis quasi quodam sancto augustoque fonte nostra omnis manabit oratio. — V, 13. Aristotelem, Xenocratem, Speusippum, Polemonem commemorat tanquam sibi lectos. cf. cap. 31. — V, 15. Stoicorum ratione usus est. cf. c. 16. — V, 18. Xenocratis libri de virtute appellantur. v. Diog. L. IV. p. 99. — Adde cap. 27. Si ut etiam tria genera bonorum, ut jam a laqueis Stoicorum, quibus usum me pluribus, quam soleo, intelligo, recidamus. Cf. cap. 28. sub finem. 29. multa enim a te (Cicerone) contra Peripateticos — dicta sunt, et Stoicorum ratione conclusa. Adde cap. 29. — V, 16. cf. Plat. Reip. III. p. 438. — V, 35. Platonis ad Dionis propinquos epistolam reddidit

4) V, 29. — Neque hoc loco praetermittendum, Brutum quoque librum de virtute scripsisse (v. Cic. Fin. I, 9. Tusc. V, 1. cf. supra): quem librum noster philosophus haud neglexit. cf. cap. 13.

5) Tusc. V. 2 et 3.

6) Senec. ep. 78. 90.

7) de Posidonio p. 36. et 191.

sed si hujus loci orationem diligenter examinamus, platonicum magis colorem habere videtur: in cujus scriptis gemina fere loca expressa sunt [8]). Recte autem idem Bakius statuisse videtur, Ciceronem in Hortensio spectasse Posidonium, qui librum, προτρεπτικὰ (i. e. adhortationem) inscriptum, composuerat [9]): quamquam in hoc quoque libro multa haud dubie hausit e Platonis scriptis.

XXXVII. LIBRI DE SENECTUTE ET DE AMICITIA.

In libro de Senectute multa paene ad verbum, tacitus tamen, desumsit ex Platone [1]): nonnulla quoque ex Xenophontis Oeconomico libere admodum in latinum sermonem convertit [2]). Quae de immortalitate ani-

---

8) Cf. Plat. de Rep. V. p. 56 sq. VI. p. 70 sq. Theaetet. p. 116 sq. ed. Bip. Vide Hülsemann. ad Academ. p. 347.: qui addit quoque Isocratis panegyric. p. 33. ed. Morus. — Ex eodem Platone hausta videtur illa philosophiae laudatio, quae a Cicerone sub finem primi libri de Legg. consignata est.

9) V. Bakium de Posidonio p. 245.

1) Cf. de Senect. c. 2. 3. 14. Plat. de Rep. I. p. 328 sqq. ubi Socratis sermo cum Cephalo habitus legitur.

2) V. cap. 17. Xen. Oec. c. 4. Pauca illa, quae de adolescentum morbis inseruit Cicero cap. XIX. §. 67. ex Hippocrate I, 350. et I, 456. hausta esse, Drakenborch. in Dictat. ad h. l. monet, ap. Gernh. p. 128 sq.: quod sane probabile. Cf. Cic. de Orat. III. 33.

morum protulit, hausta sunt e Platonis Timaeo [3]), Phaedone et Menone [4]), Phaedro [5]), addito Platonis nomine [6]). Aliqua tamen etiam tacitus transsumsit ex Platone [7]). Capite XXII. morientis Cyri ad filios orationis partem e Xenophonte [8]) liberius, aliis omissis, aliis amplificatis, transtulit. Denique notandum, etiam M. Terentium Varronem librum de senectute scripsisse [9]). Fortasse etiam Aristonis Chii, philosophi Stoici, qui dialogum de senectute scripsit, librum [1]) in consilium adhibuit: quod certe concludi possit e primo capite: Omnem autem sermonem tribuimus non Tithono, ut Aristo Chius — sed M. Catoni cet. — In libro de Amicitia plurimam partem Ci-

---

3) Plat. Tim. p. 338. Bip. Cic. Cat. Maj. c. XXI.

4) Plat. Men. c. 15.

5) Phaedr. p. 318. Bip. Cic. Cat. Maj. c. XXI. 78. Phaedr. p. 165. c. 18. Cic. l. c. sub finem.

6) Cf. cap. 20. 21. 22.

7) Veluti ex Plat. Phaedon. c. V. ext. et VI. med. de Pythagorae sententia cap. XX. §. 73. ubi v. Gernhard. p. 139. Ex Pythagorae disciplina pauca mutuatus est cap. XXI. 78. ubi v. Gernh. p. 148.

8) Xen. Cyrop. VIII. 7, 17 sq.

9) Etiam Demetrius Phalereus περὶ γήρως scripsit. V. Ald. Manutium ad Cic. de Senect. c. 1. p. 327. ed. Graev.

1) Diog. Laert. in ejus vita, ibiq. Menag. Adde Facciolat. et Gernh. ad Caton. M. c I. p. 7. sq.

ceroni facem praetulit Aristoteles in Ethica [2]): tum vero etiam Plato in Lyside [3]) et Xenophon in Memorabilibus Socratis [4]). Nec pauca denique in Ciceronis libellum e Chrysippi libris περὶ φιλίας et περὶ τοῦ δικάζειν [5]) redundasse videri possunt. In primis quoque imitandi studium composuisse videtur Cicero ad Theophrasti librum, qui erat inscriptus περὶ φιλίας. Certe quae nobis relicta sunt hujus scriptionis fragmenta mirifice conspirant cum Ciceronis libello. — Exordium hujus scripti integrum ex Platonis in Theaeteto exordio imitatione expressum est.

XXXVIII. LIBRI DE REPUBLICA ET DE LEGIBUS.

Librorum de Republica fontes ipse in initio libri secundi de Divinatione indicasse videtur. "Sex de republica libros, inquit, scripsimus. — Magnus locus, philosophiaeque proprius, a Platone, Aristotele, Theophrasto totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime." Plurima enim hausit e Platonis Aristotelisque politicis scriptis. Sed, quod maxime animadverten-

2) De Amic. cap. 5-10. 18. 21-22. Aristotel. Ethic. VIII. 1-3. 13. IX. 1-4. 11. et alibi.

3) Cf. de Amic. c. 8.

4) de Amic. c. 17.

5) Vide Lynden. de Panaet. p. 108 sq.

dum, permultae atque eae quidem longe gravissimae in his libris expressae sententiae e Polybio petitae videntur [6]). Forma horum librorum, uti supra exposuimus, composita est ad eam, quam Plato suis de Republica libris expressit.

In libris de Legibus Cicero platonicum genus orationis atque habitum, externamque graeci philosophi cognominum librorum formam atque dispositionem imitatus est, et tam admirabili arte ingeniique sollertia expressit, ut non anxie Platonis vestigia legisse, sed omnia ex suo ingenio divino hausisse videatur. Uti Plato cum Clinia Cretensi et cum Lacedaemonio Megillo, aestivo, quemadmodum describit [7]), die in cupressetis Cnossiorum et spatiis silvestribus, crebro insistens, interdum acquiescens, de institutis rerum publicarum ac de optimis legibus disputat: sic Cicero cum Quinto fratre et Attico inter procerissimas populos, in viridi opacaque ripa inambulans, tum autem residens quaesivit iisdem de rebus. Sed in rebus et sententiis Stoicos sequutus est [8]). Totam enim de summa lege disputationem tacitus transsumsit, uti probabile est, ex Chrysippi

6) Cf. infra in capite de Ciceronis Politica.

7) Plat. Legg. I. p. 5. Bip. Cic. Legg. I. c. V. §. 15.

8) Cic. Legg. II. c. 7.

libro, qui erat inscriptus *περὶ νόμου*, eam tamen egregio orationis splendore exornavit, multaque admiscuit ex platonica doctrina [9]). — Liber secundus: in prooemio [1]) imitatus est Zaleucum [2]). — In lege ipsa proponenda Plato atque Aristoteles multis partibus Ciceroni praeivere [3]). — Liber tertius. Prooemium ad platonicam formam concinnatum est. In ceteris autem et hujus et Aristotelis vestigia persequutus est [4]). Ipse vero Cicero alios quoque auctores indicavit [5]): Sed hujus loci de magistratibus, inquit, sunt propria quaedam, a Theophrasto primum, deinde

---

9) Cf. I. 8, 25. Exordium seu prologum mutuatus est e Platonis Phaedr. p. 280 sqq. Bip. Cf. Hülsemann. in vers. p. 285. Legg. I. 5. imitatione expressit prooem. Platon. de Legg. in I. libro. V. Hülsemann. l. c. p. 265. Ceterum cf. quae praeclare monuit Goerenz. in Introductione in hos libros p. XXVI. Idem vir doctissimus l. c. pag. seq. plura excitavit Chrysippi fragmenta, quae Ciceronis in his libris fontem primarium clarissime videntur ostendere.

1) Cic. Legg. II. c. 7.

2) Apud Stob. Sermon. XLII. p. 279. cf. Plat. de Legg. X. init.

3) Cic. Legg. II. 15. 27. 28. est Platonis locus conversus. — Legg. II. c. 8. Plat. Legg. IV. p. 600. Reip. IV. — Cic. Legg. II. 22. ex Xenoph. Cyrop. VIII, 7.

4) Legg. III. c. 2. de regio imperio sententia a Plat. de Legg. IV. petita. Cf. Legg. VI. p. 618. III. 595. Aristot. de Rep. II, 10. Pol. III, 4. — Cic. Legg. III, 13. de educatione Plat. de Rep., Legg. veluti I. p. 42 sq. Bip. — c. 14. de viris politicis: Plat. de Legg. IV. p. 598.

5) Legg. III. cap. 6.

a Diogene Stoico [6]) quaesita subtilius: et postea a magno homine et inprimis erudito, Panaetio. Nam veteres verbo tenus [7]), acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem et civilem, de republica disserebant.

XXXIX. DE DILIGENTIA AC FIDE CICERONIS IN TRADENDIS GRAECORUM PHILOSOPHORUM DECRETIS.

Indicatis ex quibus Cicero philosophicarum disputationum suarum materiam hauserit, vel certe hausisse videatur fontibus, atque exposita qua aliorum philosophorum scripta sequutus sit atque in usum suum converterit ratione: reliquum est, ut, quamnam iis, quae de veterum philosophorum scitis atque decretis tradidit, adhibuerit curam ac diligentiam, et, quanta iis sit tribuenda fides atque auctoritas, disquiramus atque exponamus. Hic autem locus unus e gravissimis nostrae disputationis habendus est. Enimvero, quae adhuc enarravimus, maximam partem spectant ad beneficia, quibus Cicero de patria atque civibus suis in philosophia meruit: ex iis vero,

6) Sic recte correxisse videtur Turnebus pro Dione: vid. Lynden. l. c. p. 84.

7) h. e. ad scholae disputationem.

quae nunc oratione nostra persequuturi sumus, quantum nos quoque Ciceroni debeamus, apparebit. Ut vero hanc disquisitionem recte instituamus, quae veterum philosophorum monumenta integra nobis servata, quaeque a serioris aevi philosophicis scriptoribus, veluti a Diogene Laertio, Stobaeo, Sexto Empirico, de antiquorum illorum philosophorum quorum scripta temporis iniquitate absumta sunt disciplinis relicta sunt, cum iis, quae a Cicerone de iisdem explanantur, curate diligenterque contendamus necesse erit. Ex qua quidem comparatione si intelligitur, Ciceronem aut recte aut perperam in veterum philosophorum doctrinis exponendis versatum esse: quantum ceteris, quae ab uno Cicerone nobis servata sunt, statuendum sit auctoritatis, sponte apparet. Ciceronem autem ex ipsis fontibus hausisse, non rivulos consectatum esse, neque iis acquievisse, quae de graecorum philosophorum doctrinis a magistris suis acceperat, quum iis, quae modo exposuimus, tum multis ipsius Ciceronis locis [8]) extra omnem positum est dubitationem. Porro accuratissima graecae linguae cognitione munitum, judicio sanissimo et acumine eo

8) Cf. Offic. I, 2. Sequimur hac in quaestione potissimum Stoicos, non ut interpretes, sed, *ut solemus*, e fontibus eorum, judicio arbitrioque nostro quantum quoque modo videbitur, hauriemus.

instructum fuisse Ciceronem, quod ad diversas diversorum philosophorum sententias pernoscendas dijudicandasque requiritur, iis, quae supra de nostro philosopho disputavimus, ostendisse nobis videmur. Huç accedebat incredibilis quaedam industria indefessumque studium Ciceronis in philosophorum scriptis lectitandis atque perscrutandis positum. Denique voluntatem habuisse Ciceronem philosophorum scita integra reddendi, et multa supra a nobis e Cicerone allata loca commonstrant, et vero illud quod sequutus est philosophandi genus, quo nulli uni disciplinae consecratus, aliorum sententias earumque argumenta, sine ullo partium studio, exponit. Non enim coactus fuit, quae sibi haud probanda videbantur, constantiae caussa tueri; sed hoc philosophandi genere eam sibi comparaverat animi moderationem, ut philosophorum sententias sine ulla fraude exponeret atque dijudicaret [9]).

XL.

Verum, quamquam in recensendis antiquorum doctrinis Cicero qua potuit maxima diligentia ac fide versatus est; tamen cautio quaedam circumspectioque in eo adhibenda est. Primum enim diligentissime

---

9) V. quae eleganter disputat Meiners *verm. philosoph. Schriften.* T. I. p. 293.

attendendum est, quaenam in ejus dialogis persona loquatur. Sic quae Vellejus, Epicureus, in primo libro de Natura Deorum [1]) de veterum philosophorum decretis tradidit, mirum quantum deturpata sunt atque perversa. Quaeritur, an incuria Cicero lapsus sit, an memoria, an denique de industria adeo corruperit haec philosophorum decreta, quo tanto eloquentius et melius illa confutare ac deridere posset: quod judicavit Moshemius ad Cudworthi systema intellectuale [2]). Quarum quidem conjecturarum nulla mihi quidem probatur. Puto enim, Ciceronem dedita quasi opera Vellejum ex more, qui Epicureorum proprius fuisse videtur, aliorum philosophorum sententias pervertentem induxisse. Quis, quaeso, qui vel fugitivo oculo cetera Ciceronis philosophica scripta percurrerit, quis sibi persuadere poterit, Ciceronem, etiamsi haec omnia memoriter perscripserit, tam hospitem atque peregrinum fuisse in eorum philosophorum quos illo loco percenset doctrinis, ut in tam turpes incidere posset errores? Vellejus sophisticis quae dicuntur quibusdam artificiis utitur ad sententiam suam stabiliendam. In vulgus autem notum est, Epicureos, ceteris omnibus philosophicis disciplinis posthabitis despectisque, unam atque solam magistri

1) N. D. I. c. 7-15.
2) Tom. II. p. 146. Ed. Lugd. Bat. 1773.

sui doctrinam in maximo pretio ac summa admiratione habuisse [3]). Jam vero haud minore cum circumspectione in iis versandum est, in quibus Cicero academica ratione aliorum philosophorum sententias refellere atque evertere studet: quod infra in disputationis nostrae parte, quae est de Ciceronis physica, uberius demonstrare licebit. Pari modo in secundo libro de Finibus B. et M. academica ratione contra Epicuri moralem doctrinam [4]) ita disputavit, ut Epicuri verba vehementer urgeret, atque ex omnibus partibus excuteret, eo quidem consilio, ut demonstraret, totam Epicuri disciplinam nullis firmis superstructam esse fundamentis. Hinc factum, ut multis locis verbum voluptatis (ἡδονῆς) non genuina Epicuri significatione sumeret, sed aliam ei sensum subjiceret, et, quid ex hac voce cogi concludique posset, demonstrare studeret.

---

3) Velleji errores in dijudicando Democrito commissos docte detexit Moshem. ad Cudworth. syst. intell. T. II. c. V. p. 146 sq. — T. I. p. 16. not. 9. — Iis, quae Cicero, admodum adhuc adolescentulus, e graecis in latinum sermonem convertit, haud temere fides habenda est. Sic in Platonis Timaeo plura loca perperam intellexit: quod subinde docuit Gedikius in Historia philosophiae e Ciceronis scriptis collecta, v. c. p. 171 sq. et alibi.

4) De morali Epicuri philosophia multa acute disputavit Meiners *verm. philos. Schriften.* T. I. p. 78 sq.

XLI.

Jam liceat mihi quaedam addere, exigua illa quidem, in quibus philosophum nostrum erravisse atque lapsum esse, reperire mihi visus sum. In Officiis [5]) fortitudinem quoque, unam ex quatuor Stoicorum quae dicuntur cardinalibus virtutibus, res parare tuerique, quibus actio vitae contineatur, statuit, ut animi excellentia magnitudoque cum in augendis opibus utilitatibusque et sibi et suis comparandis, tum multo magis in his ipsis despiciendis eluceat. Cicero igitur in rebus externis pretium ponit, quod pugnat cum Stoicorum principiis. Panaetius [6]) dixit, homines nonnullis rebus externis opus habere ad virtutem adipiscendam. Quum vero Cicero addit, melius tamen esse, externas omnino res despicere, insigniter sibi repugnat. Stoici dicebant, nonnisi morale malum esse verum malum, non item dolores corporis. — Jam vero Stoici in virtutibus nullos gradus statuebant: neque tenere virtutes ullum posse dicebant; nisi statuerit, nihil esse quod intersit, aut differat aliud ab alio, praeter honesta et turpia [7]). Peripatetici vero in hoc discesserunt a Stoicis: hi tamen ab hoc

5) Offic. I, 5.

6) Vide Lyndenum de Panaetio p. 77.

7) Cic. Fin. III, 7.

paradoxo deflexere, quum inter *κατορθώματα* et *καθήκοντα* distinguerent [8]). Recta aut recte facta (*κατορθώματα*) omnes virtutis numeros continent [9]), et plena ac permanente virtutis vi perficiuntur. *Καθήκοντα* differunt ab iis, si honesti vim, qua peraguntur, spectas. Sapiens enim suas actiones cum celeritate quadam et sine labore perficit; insipiens vero cum labore atque contentione: haec autem sunt *καθήκοντα*. Quod quidem subtilius discrimen haud satis recte intellexit Cicero, quum dicit [1]): Juste depositum reddere in recte factis esse, depositum reddere, in officiis poni. Recte facta a nemini nisi a sapiente perfecto attingi possunt, media omnium hominum sunt. Stoici porro dixerunt, recte facta et quae iis contraria sunt, esse paria (ratione legis); sed differentiam quandam apparere in rerum eventu [2]). — Porro in Officiis [3]) medium officium id esse dicit, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit. Male; nam eodem modo *κατόρθωμα* definitur, uti ipse fecit [4]). — In libro tertio de Finibus B. et M., ubi Stoicorum de hoc

8) Stob. II, 174.
9) Cic. Fin. III, 7.
1) Fin. III, 18.
2) Stob. II, 184. Cic. Parad. III. Academ. II, 43. Epict. Enchir. c. 29. Adde Bardilium in Hanffs *Philologie* II. p. 9.
3) Offic. I, 3.
4) Offic. I, 29.

philosophiae loco sententia exponitur, disputatio non satis arcte semper cohaerere videtur; nonnunquam etiam minus clara ac perspicua est.

Ejusdem stoicae disciplinae physiologiam, quam in secundo libro de Natura Deorum pertractavit, non sincera atque genuina forma exhibuit, sed non solum e variorum Stoicorum de hoc loco sententiis composuit, verum etiam Platonis decretis temperavit. Omnino hoc probe tenendum, Ciceronem stoicae disciplinae austeritatem atque severitatem semper fere platonicis sententiis mitigasse, atque ex utrisque, quae maxime sibi videbantur apta ad rem suam, delibasse. Hinc saepius, quum platonica tractavit, admiscuit stoica; platonica contra, quum e Stoicorum sententia disputat. Quae quum ita sint, cautio adhibenda est in Cicerone, ne hujus auctoritate vel platonica vel stoica habeamus, quae aliena sunt ab utraque schola [5]). Similiter in primo libro de Divinatione Quintus frater, Stoicus, scholae suae de divinatione sententiam defendens, haud raro platonica argumenta adhibuit: in quibus illud etiam [6]) habetur ab immortalitate animorum petitum, quo potissimum

---

5) V. Moshem. ad Cudworth. system. intellect. T. II. p. 248 sq. not. (t). Cf. Franke l. c. p. 66 sq.

6) Divin. I. 51. V. Moshemium ad Cudworthi system. intellect. T. II. p. 248.

divinationem, quam naturalem Stoici nuncupabant, confirmare studet. — Denique in tradenda Epicuri physica Ciceronem nonnunquam de hac doctrina penitus perscrutanda haud satis sollicitum videri, veluti de atomorum motu, probatum ivit Moshemius ad Cudworthi systema intellectuale [7]).

XLII.

Jam, si, quae in hoc de Ciceronis in philosophicis scriptis fontibus loco disputatione nostra persequuti sumus, complectimur, Ciceronem ad unum omnia quae pertractavit philosophica argumenta e Graecorum fontibus hausisse, atque illa romani sermonis splendore exornasse, scite prudenterque composuisse, magno ingenii acumine perscrutatum esse, multaque ingenii dexteriate, judicio saepe suo adjuncto, ponderasse, nonnunquam novis argumentis communivisse, nobis videmur, utcunque potuimus, demonstrasse. Ex eadem fontium investigatione atque disquisitione satis apparere arbitramur, Ciceronem non solum uberrimum atque largissimum, verum etiam purissimum limpidissimumque historiae philosophicae fontem habendum, atque ita non solum de civibus suis, sed etiam de insequentibus temporibus, deque uni-

7) T. II. p. 266 sq.

versa philosophia egregie atque praeclare esse meritum.

Caput sextum.

XLIII. UTRUM CICERO PHILOSOPHUS JUDICANDUS SIT, NEC NE, ANQUIRITUR.

Aptum mihi videtur hoc loco quaestionem, multum a viris doctis agitatam, utrum Cicero philosophus judicandus sit, nec ne, sub examen vocare. Vix ullus antiquitatis philosophus tam diversa atque inter se pugnantia doctissimorum hominum expertus est judicia, quam Cicero. Fuerunt enim, qui, nimio ejus amore capti, ejus philosophiam summis extollerent laudibus, neque eum in maximorum philosophorum numero reponere dubitarent [8]). Alii contra, iniquius

8) Sic Lactant. I, 15. III, 14. Quintil. X, 1. Macrob. Somn. Scip. I, 27. Ex recentioribus Erasmus in ep. Lib. XXVII. ep. I. Lib. II. ep. 26. Vide Brucker. Histor. phil. T. II. p. 33. Alias virorum doctorum de Cicerone philosopho sententias apud Hornium Histor. phil. Lib. IV. c. 5. p. 246 sq. reperies, qui quidem illum contra vituperatores defensum ivit. Tullius ipse passim philosophi titulum sibi vindicavit. Academ. I, 2. ad Div. IX, 17. XV. ep. 4. Quamquam Off. I. 1. satis modeste dicit: Nam philosophandi scientiam concedens multis, quod est oratoris proprium — si id mihi assumo, videor id meo jure quodammodo vindicare. — Magnus quoque Wyttenbachius Bibl. crit. Vol. I. p. III. pag. 2 sq. et in Disputat. de veterum sententia de animorum immortalitate pag. 88. magnifice sane sensit de nostro philosopho.

de eo judicantes, laudem nomenque philosophi ei prorsus derogaverunt [9]). Omnis hujus rei controversia in eo vertitur, quomodo philosophus definiendus sit. Si philosophum statuimus esse eum, qui, beata quadam ingenii ubertate ornatus, omniumque principum philosophorum doctrinis imbutus, ea, quae ex illorum scriptis didicit menteque sua comprehensa habuit, non solum e peregrina lingua in patrium sermonem convertit, atque eleganter, ornate distincteque expressit, verum etiam diligenter curateque examinavit, scite composuit atque divisit, saepius etiam novis rationibus confirmavit, illustravit atque ulterius persequutus est; res atque rerum momenta et pondera inter se contulit ac comparavit, suo interposito judicio; denique philosophiam ad plures res, a Graecis

9) August. C. D. II, 27. Ciceronem philosophastrum nuncupavit: quod tamen iniquissimum judicium eo minus mirari subit ab illo esse latum, quum notum sit, Augustinum academicae disciplinae inimicissimum fuisse et contra eandem scripsisse. V. Brucker. Hist. phil. T. II. p. 49. In eandem fere sententiam plurimi ex recentioribus historiae philosophicae scriptoribus discesserunt. Sic Johnsius de script. hist. phil. T. II. c. 18. §. 4. Tullio eloquentiae laudem tribuendam esse censuit, philosophiae non item. Brucker. l. c. p. 49. calculum suum adjecit sententiae Heumanni (Act. phil. Vol. II. p. 459.), qui Ciceronem inter sedulos magis philosophorum discipulos, quam inter philosophos primi ordinis reponi jubet. Simile judicium tulit Tennemannus *Gesch. der Philos.* T. V. de Cicerone.

paululum neglectas, adhibuit, atque ex umbra quasi in solem atque pulverem produxit; civesque suos optimis saluberrimisque sapientiae praeceptis auxit atque locupletavit: quod si igitur talem philosophi nomine ornari concedimus, quis est, qui Ciceroni philosophi jus titulumque detrahere velit? Jam vero, si incredibilem illam difficultatum laborumque qui ei in persequendo suo incepto exantlandi erant magnitudinem; si tempora, quibus vixit; si curas, dolores, aegritudines, quibus ejus animus macerabatur; si denique linguam latinam mirifice ab eo ad philosophiae usum excultam atque perfectam cogitatione nostra complectimur: tanto majore jure philosophi nomen Ciceroni nostro tribuendum videbitur. — Sin autem philosophum non nisi eum habemus atque dicimus, qui ex suo ingenio perfectam quandam artis disciplinam, certis quibusdam fixis ac constitutis principiis, creavit, et ex his principiis, servata ubique evidentia, singulas partes deduxit: nemo profecto erit, quantumvis summo Ciceronis amore atque studio obcaecatus fuerit, qui, hoc philosophi nomen in illum conferendum esse, censeat. At enimvero rarissima sane et in antiquitate et nostris temporibus extiterunt ingenia ea, quibus ad tantum sapientiae fastigium escendere licuit!

XL. NONNULLIS VITUPERIIS, A VIRIS DOCTIS CICERONI FACTIS, OCCURRITUR.

Quaestio, quam nobis de Ciceronis vita atque philosophia universe in hac disputationis parte pertractandam sumsimus, quamquam jam profligata et ad exitum perducta videri possit: tamen, ut totus hic locus, quantum per virium nostrarum imbecillitatem licet, perpurgetur atque complanetur, nonnullis reprehensionibus, quibus viri docti Ciceronem ejusque philosophiam incessiverunt, occurri nobis visum est. Ac primum quidem multi extiterunt, qui Ciceroni objicerent, quod non tam animi quodam impetu atque desiderio, quam laudis gloriaeque adipiscendae cupiditate ad philosophiae studium delatus esset, neque adeo philosophiae vim perceptam habuisset [1]. Negari quidem non potest, Ciceronem, quum totum se reipublicae dicasset, philosophiam veluti eloquentiae instrumentum adhibuisse; nec tamen inde continuo concludi potest, Ciceronem philosophiam hoc tantum consilio sectatum esse, ut eam adjutricem eloquentiae disciplinam colendam sibi judicaverit. Immo vero, quod supra exposuimus, Cicero pro ingenii amplitudine atque excelsitate jam tenerrima aetate in philosophiae sinum sese contulit [2]), ejusque animus in

1) Cf. Tennemann *Gesch. der Philos.* T. V. p. 190 sq.

2) Tusc. Qu. V, 2. Offic. II, 1. N. D. I, 3.

divino hoc studio excellentissimarum rerum contemplatione nutritus atque pastus est. Postea vero, quum honoribus inservire coepit, nunquam illud studium intermisit, sed tantum ei tribuit temporis, quantum vacabat a publico officio atque munere. Ciceronem autem, ut reliqua ejus doctrinarum studia silentio praetermittamus, etsi innumerabilibus negotiis atque occupationibus detentus fuerit [3]), in una profecto philosophia tantum operae temporisque, quantum vix ii, qui in his studiis contriverunt aetatem, collocasse, luculenter testificantur ejus philosophica scripta omnium doctrinarum plenissima [4]). Neque igitur Cicero, quod alii ei objiciunt, tum demum, quum senex, fortunae gravissimo perculsus vulnere, et administratione reipublicae liberatus, doloris medicinam a philosophia peteret, et otii quo abundabat oblectationem hanc honestissimam judicaret [5]), ad philosophiam sese contulit [6]). Jam vero, si in ejus philosophica scripta

---

3) Cf. quae breviter, at eleganter more suo de Cicerone exposuit Ernesti in praeclara illa lectuque dignissima dedicatione ad Chr. Lud. Stiglizium. p. LXIII.

4) Wyttenbach. Bibl. crit. Vol. l. pars III. p. 4.

5) Cic. Academ. I, 3.

6) Audiamus ipsum Ciceronem N. D. I. 3. Nos autem nec subito coepimus philosophari: nec mediocrem a primo tempore aetatis in eo studium operam curamque consumsimus: et, cum minime videbamur, tum maxime philosophabamur: quod et orationes declarant refertae philo-

penitius nos insinuamus, Ciceronem intimo quodam amore atque ardentissimo animi fervore philosophiam amplexatum fuisse, reperiemus. Hinc est, quod Cicero, quandocunque ei licuerit, sancto quodam philosophiae numine afflatus, divinam illam scientiam divinis prosequutus sit laudibus [7]).

---

sophorum sententiis, et doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, et principes illi, Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus.

7) Cf. praestantissimum locum in Tuscul. Qu. V, 2.: quem jam a veteribus praedicatum atque dilaudatum esse. animadvertit Davisius ad h. l. — Adde Tusc. Qu. I, 26, II, 1. 4. 15. 19. 24.: quae loca Ciceronis sensum veri virtutisque integerrimum arguunt, atque, haec philosophiae praeconia ex intimo nostri philosophi pectore fluxisse, luculenter ostendunt. Cf. quae supra de Ciceronis Hortensio monuimus.

Pars tertia.

DE DIALECTICA.

I. CONSTITUTIO QUAESTIONIS DE SINGULIS CICERONIANAE PHILOSOPHIAE PARTIBUS.

Postquam de Ciceronis philosophia omnino exposuimus, sequitur, ut ad alteram disputationis nostrae partem, quae in solvenda atque explananda quaestione: "An et quomodo Cicero in singulas philosophiae partes bene meruerit" versari debet, nos accingamus. Sed ut disputatio nostra via atque ratione procedat, paucis videtur esse monendum, quomodo in describenda hac quaestione versati simus. Nulla vero mihi hoc argumentum absolvendi ratio visa est melior, quam ut divisionem singularum philosophiae partium, ab ipsis veteribus philosophis constitutam, sequerer. Quare, ut haec quaestio rite tractetur, paullo altius repetendum, et, quomodo veteres philosophiam ejusque singulas partes distribuerint, breviter edisserendum videbitur.

Philosophia, si verbi significationem spectamus, est studium sapientiae. Sapientia autem a Cice-

rone [1]) aliisque veteribus philosophis definitur rerum divinarum humanarumque et caussarum quibus hae res continentur scientia. In divinarum rerum scientia ea philosophiae pars versatur, quae a veteribus physica appellatur, et quaestiones de divino numine et de animorum corporumque natura continebat. Humanarum rerum scientiam, quae de vita et moribus, deque disserendi ratione est, complectebatur ethica et dialectica. Haec triplex philosophandi ratio fuit a Socrate, confirmata a Platone atque Aristotele [2]).

Caput primum.

II. De dialectica universe.

Dialectica leges, quibus mens ad verum definiendo, dividendo atque argumentando inveniendum, dijudicandum et cum aliis communicandum regatur, tradere debet. Quocirca uberrima quam tractet, et in qua versetur

1) Cic. Offic. II, 2. Fin. II, 12. Plutarch. de phys. philos. decret. init. Adde Wyttenbach. Proleg. in praecepta philosophiae logicae Edit. Halae 1784. p. 1. Senecae ep. 88. Quintil. instit. XII. p. 346. Verba adjecta: "caussarumque quibus hae res continentur" Senecae ep. 89. supervacua videntur, quia caussae divinorum humanorumque partes sint; Beiero tamen ad Cicer. Offic. I, 43. p. 303. haec adjectio ad dialecticam spectare videtur.

2) Cic. Academ. I. 5, 19. Cf. supra pag. 5.

subjecta est materia [3]). Hinc est, quod Cicero [4]) dialecticam omnium artium maximam praedicet, quae quasi lux ceteris adhibeatur, quaeque doceat, rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando: ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera et falsa dijudicentur, et quae, quibus positis, essent quaeque non essent consequentia. — Gravissima de dialecticae materia, finibus et pretio in Cicerone legitur animadversio, vel ab ipso facta, vel e Philonis, magistri sui, disciplina petita, contra Stoicos, qui dialecticae auxilio, ratione multa percipi posse, probatum ibant: Dialecticam nimirum non eo, quo Stoici censebant, sensu esse accipiendam, ac si ea sit scientia veri. Plura hac de re infra. Ceterum haec acutissima observatio in nullo antiquitatis philosopho reperitur, et vero etiam in longum tempus ex philosophiae historia evanuit [5]).

III. DE SOCRATE.

Socrates inter graecos philosophos primus est, qui philosophiam a rebus occultis et ab ipsa natura

---

3) Wyttenbach. l. c. p. 10.

4) Cic. Brut. c. 32.

5) Tennemann. *Gesch. der Phil.* T. IV. p. 397.

involutis avocavit, doctrinamque de humana cognitione ejusque natura constituit, et ita universum philosophiae statum mirifice mutavit atque emendavit [6]). Enimvero omnes philosophi ante Socratem philosophiam tractabant, humanae cognitionis ejusque naturae plus minus sibi conscii. Ipsi Eleatici, quamquam illi quidem de humanae cognitionis ratione disquisiverunt; summum tamen atque maximum philosophiae momentum in eo, quod est, et quod non est, versari debere, statuerunt. Socrates autem, postea quam varias atque inter se maxime dissidentes antiquorum philosophorum disciplinas perscrutatus fuerat, sophistarumque levitatem, qui ostentationis aut quaestus caussa philosophabantur [7]), et dialecticam, quae ad rationem, qua tum gerebatur respublica, maximam vim exserebat [8]), studiosissime sectati, omnia divina atque humana jura una atque sola hujus artis vi labefactare conabantur, videns et hujus rei caus-

---

6) Protrita ista atque pervagata opinio, Socratem demum ethicam philosophiae addidisse, eundemque alia omnia plane contemsisse, et Xenophontem genuinam nobis atque integram Socratis ingenii quasi imaginem exhibere, nullis plane firmis stabilita est argumentis atque rationibus. Cfr. Dissenius, praeceptor summe venerabilis, in program. de philosophia morali in Xenophontis de Socrate commentariis tradita. Gotting. 1812.

7) Cic. Academ. II. 23. 72.

8) Cf. Gerlachii commentat. supra laudatam p. 4.

sas explorans, omnium qui ante se floruerunt sapientum disciplinas vera rectaque philosophiam tractandi via atque ratione, accurataque humanae cognitionis intelligentia destitutas esse, praeclare intellexit. Quare cum hominibus generis cujusvis sermones sparsit, et cum iis ita disputavit, ut nihil affirmaret, nihil se scire, simularet, sed una cum iis verum indagaret, eosque, qui scire se aliquid opinabantur, refelleret, atque iisdem ipsos nihil scire demonstraret inanemque hominum jactationem et arrogantiam retunderet [9]). Quae quidem dubitatio de omnibus rebus et nulla affirmatione adhibita consuetudo disserendi est socratica illa dissimulantia, quam Graeci *εἰρωνείαν* vocabant [1]). Atque eo praestare ceteris Socrates sibi videbatur, quod illi, quae nescirent, scire se putarent, ipse, se nihil scire, id unum sciret. Ob eamque rem se arbitrabatur ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quod haec esset una omnis scientia, non arbitrari sese scire quod nesciat [2]). Haec vero modesta Socratis verba non ita accipienda sunt, ac si iis, omnem cognitionem vagam esse et incertam dubiamque,

---

9) Cic. Academ. I. 4, 16.

1) Cic. Academ. IV. 5, 15. Offic. I, 30. ubi v. Beier. p. 232 sq. Brutus c. 85, 292. De Orat. II, 67. cf. Quintil. IX. 2, 46. Xenophont. M. S. IV. 4, 19.

2) Cic. Academ. I, 4.

significare voluisset; immo Socrates, quid esset scire, quae vera esset cognitio, animo firmiter comprehensum habuit [3]). Quomodo enim ex aliorum animis verum elicere potuisset?

IV. DE PLATONE, ARISTOTELE, STOICIS ET CICERONE.

Dialecticam, a Socrate inventam, mirifice excoluit atque amplificavit Plato, qui etsi illam non peculiariter pertractavit, tamen in omnibus suis libris acutissime adhibuit [4]). Aristoteles vero logicam diligenter separavit a metaphysica, et utramque disciplinam peculiariter exposuit. Aristotelis dialecticam deinde Stoici admodum auxerunt, eique multa addiderunt, quae hujus artis finibus exclusa esse debebant [5]). Cicero denique artem dialecticam eamque formulariam et compendiariam ex eadem Stoicorum disciplina assumsit, et compendium topicorum ad mentem Aristotelis conscripsit [6]), ubi locos argumentorum artificiosorum et arte carentium enumerat; tum de diversis quaestionum caussarumque generibus

---

3) Cf. Platonis Theaetetum.

4) V. G. E. Schulzii, praeceptoris summe venerabilis, *Grundsätze der allgem. Logik.* IV. Ed. 1822. praef. p. V sq.

5) V. Schulz. l. c. p. VI sq. Wyttenb. l. c. p. II.

6) Cic. de Orat. II. 30.

agit. Quae quum ad rhetorica praecepta spectent, nobis nihil sunt moranda. Ex Ciceronis philosophicis et rhetoricis scriptis etsi facile dialectica quaedam e Stoicorum maxime sententia constitui possit: tamen, quoniam Cicero in hac disciplina plerumque Stoicorum vestigiis institit, nec nisi in iis discessit ab illis, ubi Academia ipsis plane opposita erat, uti in doctrina de nota veri et falsi, quod mox videbimus, in repetendis iis, quae jam fuse a viris doctis copioseque exposita sunt, tempus atque operam haud consumendam putavimus.

Caput atlerum.

DE NOTA VERI ET FALSI.

V. CONSTITUTIO HUJUS LOCI.

Sed ad graviorem age properemus quaestionem, in qua omne academicae philosophiae momentum positum est. — Primarium dialectices officium versatur in constitutione veri, falsi, cogniti, incogniti: hoc est fundamentum et regula totius philosophiae, neque sapiens potest esse, qui, cognoscendi esse initium, ignoret [7]). Omnium igitur primum, quum Cicero academicam sectatus fuerit disciplinam, videamus necesse erit, quamnam Academici in indagando vero

7) Cic. Academ. II. 9, 29.

iniverint rationem. Itaque primum nobis dicendum erit de via, quam ad inveniendam veritatem Academici ingressi, et de ratione, qua instrumentis cognoscendi usi fuerint: tum vero de ipsa veri falsique nota. Ceterum haec quaestio paullo uberius nobis videtur persequenda atque illustranda, quoniam ad cognoscendam riteque dijudicandam Ciceronis philosophiam plurimum habet ponderis atque momenti.

VI. DE ACADEMICORUM METHODO.

Quum Academia, profecta a Socrate, ejusdem sequuta sit disserendi rationem, ad fontem quasi regrediendum nobis, et, quam inde a Socrate ad inveniendum verum Academici iniverint viam, expediendum erit.

DE SOCRATE.

Socrates hanc inivit rationem, ut percontando atque interrogando elicere studeret eorum opiniones, quibuscum disserebat, ut ad ea, quae ii respondissent, si quid videretur, diceret [8]). Quae quidem disserendi ratio in mutua vividaque et docentis et discentis alacritate ac vi animi, ingeniique agilitate consistebat. Veritatem enim non temere accipiendam, sed id quod quaereretur via et ratione reperiendum, aut quod scire nos opinaremur, nescire nos, intelligendum esse,

8) Cic. Fin. II, 1.

docuit. Etenim iis, cum quibus agebat, non persuasionem aliquam, quam habebat, obtrudebat, et tanquam oraculum quoddam proponebat; sed aptis potius concinnisque interrogationibus id, quod verum esse putabat, e cujusque mente elicere studebat [9]. Sibi enim persuasit, hominibus, sana mente praeditis, si iis verum quiddam proponeretur, eorumque attentio ad id dirigeretur, de rei veritate sponte persuaderi, modo eorum menti succurretur, et materia cognitionis ab iis ex se eliceretur reique cognitio pareretur. Quapropter artem suam obstetriciam (μαιευτικήν) esse putavit [1]: quae nimirum nihil novi pareret, sed menti succurreret ad cognitiones, quae in ejus recessibus laterent, excitandas atque excolendas. Haec igitur disserendi ratio incitabat homines, ut mentis vim atque leges, tanquam omnis veritatis fontem, omnisque cognitionis principia examinarent atque excuterent. Itaque, alicujus rei cognitionem in mentis nostrae natura sitam esse, statuit. Porro haec socratica disputatio non ulterius procedebat, nisi, quae antecedebant, perspecta erant atque extra omne dubium posita [2]: quae iis, quae perspicua erant, repugna-

---

9) Plat. Phaedon. c. 40.
1) V. Plat. Theaetet. p. 149 sq.
2) Cic. Invent. I, 31. Quintil. Inst. or. V, 11. Xenoph. M. S. IV. 6, 15.

bant, rejiciebat: sibi enim contradicentia haud simul vera esse posse, vera quae autem sint, sibi consentire ac concinere debere, diserte hac ratione expressit.

VII. DE SOCRATICIS.

Jam vero, quum e Socratis variis et diversis et in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderet, et quum discipulorum ingenia diversissima essent, atque alius aliud in eo audiendo persequeretur consilium: proseminatae sunt quasi familiae dissentientes inter se et multum disjunctae et dispares [3]).

DE PLATONE,

Plato, quum inter omnes Socratis discipulos divina quadam naturae et ingenii praestantia et egregia institutione disciplinaque explendesceret, et doctoris sui ingenium omnium optime penetrasset, eandem quam ille disserendi interrogandique viam atque rationem instituit. Sed praeter hanc socraticam disserendi rationem, quae in interrogationibus (ἐρωτήσεσι) et in responsionibus (ἀποκρίσεσι) constabat, saepe etiam,

---

3) Tennemann. *Gesch. der Phil.* T. II. p. 83. Xenophont. M S. I. 2, 48. Cic de Orat. III, 16.

ne disputatio nimis lente procederet, longiore atque cohaerente usus est oratione, quae Graecis dicebatur λόγος. Plato omne judicium veritatis veritatemque ipsam abductam ab opinionibus et a sensibus, cogitationis ipsius et mentis esse voluit: quod sola mens cerneret id, quod esset simplex et unius modi et tale quale esset. Haec est idea, quam Cicero vertit speciem. Ratio enim humana (νοῦς, λόγος), e Platonis sententia, habet tales ideas, non in hac terra natas, sed a deo ingeneratas (universales notiones), quibus rerum naturam (τὸ ὄν, τὴν οὐσίαν), quae sensibus percipi non potest, cognoscimus. Ideae (aeterna exemplaria) nulli subjectae sunt mutationi, sed semper sibi constant, atque scientiam, quae in omnia tempora omnibus hominibus valet, efficere possunt. Hinc artis dialecticae, cujus finem esse dixit hunc, ut mens a rebus, quae in sensus caderent, ad intelligibiles et ideas (i. e. aeterna rerum exemplaria) converteretur, officium Plato posuit in utraque methodo, in synthetica, quae componendo a singularibus ad universalia progreditur, et in analytica, quae dividendo ab universalibus ad singularia descendit. Vera atque pura cognitio in illis perfectissimis atque absolutissimis exemplaribus sita est: horum autem scientia humanae menti innata est. Atqui idearum natura in nobis obscurata est; itaque denuo excitari et in

nostram conscientiam revocari debet; haec est platonica ἀνάμνησις. Quare, si cognitio reperiri debet, ea ex alterius mente elici et quasi renasci debet. Plato igitur ad scientiam innatam eliciendam socraticam disserendi rationem inivit.

DE PLATONIS DISCIPULIS.

Platonis auctoritate, qui varius et multiplex et copiosus fuit, perfectissimae disciplinae, peripatetica cujus auctor Aristoteles, et academica, cujus auctor Speusippus erat, nominibus differentes, re congruentes, institutae sunt [4]); illam autem socraticam dubitationem de omnibus et nulla affirmatione adhibita consuetudinem disserendi reliquerunt.

---

4) Academ. I. 4, 17. 18. II. 5, 15. Orat. III. 18, 67. Academ I. 4, 17.: Cicero non satis attendisse videtur ad subtiliora Platonis Aristotelisque doctrinae discrimina; Aristoteles enim rejiciebat ideas, quas mirifice amplexatus erat Plato. Cf. Tennem. *Gesch. der Phil.* T. IV. p. 48-53. Deinde Plato a ratione ad sensus pergebat; Aristoteles vero universales ideas ex individuis colligebat, et a sensibus ad rationem pergebat. V. Wyttenbach. Logicae praecepta p. 75. — qui quidem pag. 87. Academicos et Peripateticos de nota veri et falsi cum Platone consensisse et recte hanc sententiam Ciceronem utrique scholae tribuisse, judicavit. In methodo Peripatetici et Academici magis concinisse videntur; in principiis vero dissenserunt.

VIII. DE ACADEMICIS.

Veteres Academici, Platonis successores, magistri sui genuinam mentem doctrinis suis maximam partem sincere expresserunt [5]), in nonnullis tamen doctrinae locis a Platone discesserunt [6]). Sensus enim omnes hebetes et tardos esse arbitrabantur; nec percipere ullo modo res eas, quae subjectae sensibus viderentur, quae essent aut ita parvae, ut sub sensum cadere non possent; aut ita mobiles et concitatae, ut nihil unquam esset constans, ne idem quidem, quia continenter laberentur et fluerent omnia. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilium appellabant. Scientiam autem nusquam esse censebant, nisi in animi notionibus et rationibus: qua de caussa definitiones rerum probabant, et has ad omnia, de quibus disceptabatur, adhibebant [7]). Academici veteres etiam socraticam illam disserendi interrogandique rationem sequuti videntur [8]): quamquam Aristotelis exemplo subinde copiosius quoddam uberiusque genus adjunxerint. Arcesilas non novam quidem methodum induxit, paululum tamen a socratica discrepantem. In-

5) V. Brucker. hist. phil. T. I. p. 728 sq. Cic. Academ. I, 10. Fin. V, 3.

6) V. Numen. ap. Euseb. pr. ev. XIV. 5.

7) Sunt verba Ciceronis Academ. I. 8, 30. cf. Fin. V, 4.

8) Cf. Cic. Tusc. Qu. I, 4. N. D. I, 5.

stituit enim, ut ii, qui se audire vellent, non de se quaererent, sed ipsi dicerent, quid sentirent: quod quum dixissent, ille contra; sed qui audiebant, quoad poterant, defendebant sententiam suam [9]). Haec quidem disserendi ratio Arcesilae philosophandi rationi maxime consentanea erat; sibi enim persuasisse videtur, pro omnibus et contra omnia disputandum esse, ut, quum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte assensio sustineretur [1]). Arcesilas hoc disputandi genus eo consilio videtur instituisse, ut discipulos dubitare, omnemque dogmaticam quae dicitur ostentationem ponere doceret. Unde facile intelligitur, in Academia ingenii vim et acumen mirifice exercitatum fuisse. Carneades in disputatione contra Stoicos de nota veri et falsi inprimis utebatur sorite [2]).

IX. DE CICERONE.

Cicero in dialogis suis socraticam quidem contra alterius opinionem disserendi consuetudinem sequutus

---

9) Cic. Fin. II. 1. Diog. L. IV, 28. Tennemann. *Gesch. der Phil.* T. IV. p. 192.

1) Cic. Academ. I. 12, 45. Fin. II, 1. de Orat. III, 18. Diog. L. III, 28 ibiq. Intpp. Plut. adv. Colot. c. 27. August. c. Academ. III. 17, 37. Bayle dict. hist. crit. v. Arcésilas, not. E.

2) Plura de hac re suppeditábit Gerlach. Commentat. supra laudata p. 17 sq.

est [3]), sed tamen magis ad Aristotelis rationem accessit. Socraticum enim genus concisum est atque breve: rebus singulis insistebat, intelligere studebat, quid quisque concederet, quid abnueret, ex rebus concessis concludebat, atque ita ad exitum perveniebat [4]). Cicero autem hanc subtiliter interrogandi et respondendi rationem rarius adhibuit [5]), sed copiosius quoddam et uberius atque fusum genus sequutus est: qui erat mos Ἀριστοτέλειος: in quo sermo ita inducitur, ut penes unum sit principatus [6]). Cujus formam expressit Cicero in libris de Oratore, de Finibus, aliis [7]). Si argumentum quoddam, de quo disputatur, propositum est, perpetua oratione (λόγῳ) [8]) explicatnr, additis simul caussis atque argumentis, cur ita sentiret is, qui disputat: tum alter procedit, et contra illius sententias iterum perpetua oratione dis-

3) Cic. Tusc. Qu. I, 4. Plura, quae huc pertinent, jam supra Part. II. cap. III. §. 18. de proprio Ciceronis philosophandi genere nobis erant exponenda.

4) Fin. II, 1. ubi sane mirari subit, Ciceronem, etsi hoc loco dicit: "Cum enim fertur, quasi torrens oratio, quamvis multa cujusquemodi rapiat: nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nusquam orationem rapidam coerceas," tamen hanc perpetuam orationem in his libris usurpasse.

5) V. c. in initio libri II. de Finibus usque ad cap. VI. — et in Tusculanis Quaestionibus aliquatenus.

6) Cic. ad Attic. XIII, 19. ad Div. I, 9. sub finem.

7) Wyttenb. Logicae praecepta p. 74.

8) Cf. de Fat. c. I.

putat, veluti in Academicis, in libris de Natura Deorum, de Divinatione, de Finibus. Hoc quasi orationis flumine, sermonisque floribus atque illecebris lectoris animum magis capi atque allici, sibi persuasisse videtur Cicero. Vel etiam unus tantum exponit sententiam aliquam, aliis audientibus, ubi dialogica forma magis ornatus atque splendoris caussa adhibita videtur [9]). Praeter dialogica scripta, in quibus alii loquuntur, etiam confecit *αὐτοπρόσωπα*, in quibus ex sua ipse persona disputat. Ceterum ejus scripta maximam partem populariter et ad communem intelligentiam conformata sunt; pauca eorum subtilius limatiusque perscripta, veluti Academica et libri de Natura Deorum [1]).

X. DE ACADEMICORUM NOTA VERI ET FALSI.

DE ARCESILA, NOVAE ACADEMIAE AUCTORE.

Si philosophiae historiam perscrutamur, multos intelligimus fuisse philosophos, qui rebus in sensus cadentibus atque materia constantibus certam cognitionem et veritatis judicium denegarent [2]).

---

9) Veluti in libellis de Senectute, Amicitia.

1) Cic. Off. II, 9. Alia, inquit, est illa, cum veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas: alia cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. ubi v. Beier. p. 69.

2) De Platonis scepsi v. Staeudlini, V. C., *Gesch. des Skeptizism.* T. I. p. 250 sq.

Verum illo tempore, quo Zeno, Polemonis, veteris Academici, institutione usus, homo magni ingenii ac severae indolis, Platonis decreta, a magistro suo accepta, correcturus atque emendaturus, novam disciplinae artem componebat, et in Platonis doctrina multa novabat, plurima denique magna cum fidentia, tanquam extra omnem dubitationem posita, decernebat; illo igitur tempore extitit Arcesilas, vir acutissimus ingeniique singulari quadam alacritate instructus, atque in dicendo princeps, qui contra Zenonem platonicae doctrinae decreta, ab eodem Polemone accepta, tuiturus, ad Stoicorum disciplinam graviter curateque examinandam excitabatur. Hinc factum, ut sceptica quaedam philosophandi ratio in vetere Academia enasceretur, et nova ab Arcesila, qui ex variis Platonis libris sermonibusque socraticis hoc maxime eripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus aut animo percipi posset [3]), inita via vetus Academia plane commutaretur [4]).

XI.

Arcesilas igitur omne sibi certamen instituit cum Zenone ejusque disciplina, quae sapientem ita effor-

---

3) Cic. de Orat. III, 18.

4) De dissidio Arcesilae a vetere Academia v. August. c. Acad. II. 6, 14.

mare volebat, qui nunquam falleretur, nihil opinaretur, sed omnia firmiter sciret, et in sensibus eorumque notionibus veri falsique notam inesse statueret [5]), non pertinacia aut obtrectandi quo contra illum ferretur studio [6]); sed quod res omnes obscuritate premi vidit, quae vel Socratem ad illam ignorationis confessionem adduxerit, et paene omnibus ante hunc philosophis, ut Democrito, Anaxagorae, Empedocli, qui nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt [7]). Itaque nihil sciri posse, ne illud quidem ipsum, quod nihil sciat, licet id Socrates excepisset [8]), statuit: de omnibus igitur dubitavit. Nam omnia esse ita obscura atque latere in occulto, ut nihil sit, quod cerni aut intelligi possit [9]), quod sensibus animo percipi possit. His de caussis nihil oportere neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque assensione approbare, statuit: cohibereque semper, et ab omni lapsu continere temeritatem, quae tum esset insignis, quum aut falsa aut incognita res approbaretur: neque

---

5) Vehementer contra hanc disciplinam Arcesilae ingenium exarserat. Vide Cic. Tusc. Qu. V, 29. Fin. III, 12. N. D. II, 65.

6) Cic. Academ. II. 6, 16. I. 12, 44. II. 24, 76. V. Euseb. praep. ev. XIV, 6. Lactant. Instit. Div. III. 4 et 6.

7) Cf. Academ. II. 10, 32. I. 44. Lact. Div. Inst. III. 28, 12-15.

8) Academ. I. 4. II. 23.

9) Academ. I, 12.

hoc quicquam esse turpius, quam cognitioni et perceptioni assensionem approbationemque praecurrere [1]). Cui quidem rationi convenienter non ex principiis quidem, a se fixis, sententiam suam probavit; sed contra omnium philosophorum, qui scire sibi viderentur, disputavit [2]). Philosophiae igitur finem esse statuit ἐποχὴν, i. e. judicii retentionem [3]), eamque bonam esse, assensionem vero malam [4]). Inprimis Arcesilas contra Stoicorum doctrinam de nota veri ac falsi disputabat. Etenim Stoici, visum (φαντασίαν), verum esse atque percipi posse, dixerunt, si illud ex eo, quod esset, sicut esset, impressum et signatum et effictum esset [5]). Arcesilas igitur incubuit in eas disputationes, ut doceret, nullum tale esse visum a vero, ut non ejusdemmodi etiam a falso posset esse [6]).

---

1) Academ. I. 12, 45. Sext. hypot. I, 252. adv. Math. VII. 153.

2) V. supra de methodo §. VIII.

3) Cic. Academ. I, 3. Sext. Emp. adv. Math. VII. p. 150-159.

4) Sext. Emp. Pyrrh. hyp. I. 233. et 232.

5) Cic. Academ. II. 24, 77. Sext. Emp. adv. Math. VII. 151-153. Diog. L. VII, 47. August. c. Acad. III, 9.

6) Sext. Emp. adv. Math. VII. 154. Quomodo Stoicorum sententias infringere atque confutare conatus fuerit Arcesilas, eleganter exposuit Cicero Academ. II. Omnino, si quis plura cupit de Arcesila, adeat praeter alia Staeudlini, V. S., praestantissimum librum, qui est inscriptus: *Geschichte des Skeptizismus*. T. I. et Gerlachii commentationem, saepius jam laudatam.

XII. DE CARNEADE.

Arcesilae scholam suscepit Lacydes [7]): huic successit Evander et Egesinus Pergamenus [8]). Hunc excepit Carneades [9]), tertiae Academiae auctor, qui Academiam ad summum splendoris atque laudis fastigium evexit. Is enim incredibili quadam dicendi vi et varietate instructus [1]), atque mirifico quodam ingenii acumine ornatus, contra Chrysippi decreta satis feliciter disputavit. Arcesilae exemplum sequutus pro omnibus atque contra omnia disseruit, et in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum probare studuit, et, quicquam esse, quod propter mentis imbecillitatem comprehendi et sciri posset, negavit; immo vero ne hoc quidem percipi posse dixit, an aliquid percipi posset [2]). Qui enim negaret, quicquam esse quod perciperetur, eum nihil excipere, necesse esse ait, ne id ipsum quidem, quod exceptum non esset, comprehendi et percipi ullo modo posse. Nullum enim veritatis judicium esse, neque in ratione, neque in sensibus, neque in

---

7) Brucker. histor. phil. T. I. p. 757. Cf. Bayle Dict hist. crit. s. v. Lacydes.

8) Cic. Academ. II, 6.

9) Cf. Bayle l. c. s. v. Staeudlini, V. S., *Gesch. d. Skeptizism.*

1) Cic. de Orat. III, 18. II, 38. Fin. II, 12.

2) Cic. Academ. II. 9, 34.

phantasia, neque ulla re alia quacunque; sed haec omnia pariter fallere [3]). In his verbis totius carneadeae rationis quasi fundamenta continentur. Profectus est in hac disputatione a visorum conditione. Negavit enim, visum verum a vera re menti imprimi posse, qualis non posset imprimi a falsa re. Carneades tamen ab Arcesilae sententia in eo recessit, quod veritatem esse haud negavit; comprehendi tamen illam atque percipi posse negavit, atque adeo, nihil esse quod percipi posset, contendit; Arcesilas contra nihil omnino veri esse dixerat, atque hanc *ἀκαταληψίαν* seu incomprehensibilitatem magis in rebus ipsis, quam in mentis imbecillitate posuerat [4]). Porro Carneades, quum diceret, non omnia esse incerta (*ἄδηλα*), sed homines nihil percipere et comprehendere atque omnia opinari [5]), multa esse probabilia atque similia veri statuit, et primus Academicorum probabilitatis doctrinam ad certam quandam philosophiae formam miro quodam ingenii acumine componere atque conformare, eaque et in vita agenda et

---

3) Sext. Emp. adv. Math. VII. 159. Plura suppeditabunt Staeudlinus et Gerlachius ll. cc.

4) Wyttenbach. Praecepta Log. p. 93. cf. Bayle Dict. hist. crit. s. v. Carneades.

5) Cic. Academ. II. 24.

in quaerendo ac disserendo [6]) regula esse utendum, demonstrare conatus est. Tres autem visorum gradus esse dixit: primum probabilem visionem (*τὴν πιθανὴν φαντασίαν*): alterum probabilem et quae non impediatur (*τὴν πιθανὴν ἅμα καὶ ἀπερίσπαστον*): tertium ex circumspectione aliqua et consideratione probabilem (*διεξωδευμένην*). Ita suae sententiae semper et ubique constare poterat; nam ejus disputationis argumenta non pugnabant contra verisimilitudinem, sed contra veritatis cognitionem, omnibus numeris absolutam. Etiam hoc concludere poterat, in nostra verisimilitudinis cognitione multa vera esse, sed hoc negare debebat, nos verum a falso certa judicandi nota discernere posse [7]).

XIII. DE ACADEMIA POST CARNEADEM.

Carneadis decreta tuitus est atque defensitavit Clitomachus, ejus discipulus, qui doctoris decreta retinuit litterisque mandavit [8]). Jam vero Academiae auctoritas, quae ingenio atque sagacitate Carneadis ad

---

6) Academ. II. 10, 32.

7) Cic. N. D. I. 5. Staeudlini, V. C., *Gesch. d. Skeptizism.* T. I. p. 326.

8) Cic. Academ. II. 6. 31. 32. de Orat. I, 10. Diog. L. IV, 67. et quae loca laudat Brucker. hist. phil. T. I. p. 771 sqq. et Tennemann *Gesch. der Phil.* T. IV. p. 365. not. 55.

summum fastigium evecta, et Clitomachi diligentia sustentata erat [9]), Stoicorum disciplina latius in dies manante, decrescere et paullatim Stoae se adjungere coepit. Post Ciceronem denique, qui desertae Academiae auctoritatem extollere conatus est, haec schola, ab omnibus derelicta, acerrimis denique diversarum disciplinarum concertationibus plane est extincta [1]).

DE PHILONE.

Primum Philo, Larissa oriundus, qui Clitomacho multos annos operam dederat, Academiam Stoae propius admovit, propiusque ad Platonem rediit: quamquam acriter adhuc academicam illam dubitationem amplexus est, ita ut, eo vivo, patrocinium Academiae non deesset [2]). Philo, superiorum Academicorum exemplum sequutus, oppugnavit Stoicorum de nota veri falsique doctrinam. Ait enim, quantum attineret ad Stoicorum judicium veri et falsi, i. e. visum comprehensivum, res esse incomprehensibiles: quantum autem ad naturam rerum, comprehensibiles [3]). Porro probare studuit non duas esse Academias, sed et

9) Tennem. l. c. p. 390 sq.

1) Cf. Gerlach. Commentat. p. 29.

2) Cic. Academ. II, 6.

3) Sext. Emp. Pyrrh. hyp. I. 235. Ceterum plura de Philone dabunt Cic. Academ. II. c. 6 sq. et libri antea laudati.

veterem et novam semper idem institutum, vel eandem philosophandi rationem sequutam esse

XIV. DE ANTIOCHO.

Philonis discipulus fuit Antiochus, Ascalonita, quem politissimum et acutissimum omnium suae memoriae philosophum Cicero judicavit [4]). Hic contra suum doctorem librum edidit, Sosum inscriptum [5]), quo veteris et novae Academiae differentia continebatur. Longe aliam quam ceteri Academici viam ingressus est. Alias enim philosophicas disciplinas, inprimis stoicam et peripateticam, cum Academia in concordiam redigere conatus est [6]). Qua de re ad Stoicum Balbum librum misit [7]). Hinc ipse in Academia stoico more philosophari dicebatur, et, si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus fuisset [8]). Ipse dixit, se ad veterem Xenocratis et Speusippi Academiam rediisse.

---

4) Academ. II. 35. §. 113.

5) Academ. I. 4, 12.

6) De inepto hoc studio plures inter se pugnantes scholas conciliandi disputavit Tiedemann *Geist der spekul. Philos.* T. III. p. 61.

7) Cic. N. D. I, 7. Brut. c. 19.

8) Academ. II, 43.

XV. DE CICERONE.

Superest, ut pauca de Ciceronis scepsi addamus. Probabat ex Academicis maxime Philonem atque Carneadem. Sententiam suam disertissimis verbis expressit in secundo libro Academicorum inde a capite vigesimo. Primum contendit, omnem sapienti sustinendam esse assensionem, quoniam, qui assentiatur, non possit non interdum falsis assentiri atque adeo opinari, quod sit a sapientis gravitate disjunctissimum [9]). Tum, sensus esse fallaces, probat [1]). Aut cum Epicuro dicendum esse, sensus nunquam fallere hominem, et si unus sensus semel in vita mentitus sit, nulli unquam esse credendum, quod esset absurdum, quum propter hebetudinem oculorum multa non videamus, multa aliter ac sint, et ipsius Stoicorum caussae periculosissimum: aut cum Lucullo (seu potius Antiocho) alia sensuum visa esse vera, alia falsa; quo sumto, nullam verorum a falsis discernendorum notam relinqui. Deinde quatuor esse dicit capita, quae concludant, nihil esse, quod nosci, percipi, comprehendi possit. E quibus primum est, esse aliquod visum falsum: secundum, non posse percipi: tertium, inter quae visa nihil intersit, fieri non

---

9) Academ. II. cap. 20 sq.
1) Cic. l. c. c. 25, 79 et 80.

posse, ut eorum alia percipi possint, alia non possint: quartum, nullum esse visum verum a sensu profectum, cui non oppositum sit visum aliud, quod ab eo nihil intersit, quodque percipi non possit [2]); quorum quidem quartum tantum ab Stoicis oppugnari. Deinde, missis sensibus, demonstrare studuit, etiam ratione nihil percipi posse [3]). Primum, qui locus memoratu dignissimus est, contra dialecticam disputat, quam quidem Stoici inventam esse dicebant veri et falsi disceptatricem et judicem. Novam plane eamque verissimam Cicero protulit animadversionem, quam jam supra verbo tetigimus: dialecticam enim in nullis rebus versari, nec quicquam de iis judicare posse: in id tantum inquirere, quae conjunctio, quae disjunctio vera sit, quid ambigue dictum sit, quid sequatur quamque rem, quid repugneat. Si haec et horum similia judicet, ipsam de se ipsa judicare: non igitur, quid sit verum vel falsum in aliis rebus, ut in geometria, in litteris, in musicis, in philosophia dialecticam judicare. Plus autem, addit, pollicebatur; nam haec quidem judicare ad ceteras res, quae sunt in philosophia multae atque magnae, non est satis. Artem igitur illam, in qua tantum ponant Stoici, ne

2) Cic. Academ. II. §. 83. 85.
3) Academ. II. 28. §. 97.

soritas quidem solvere posse, propterea quod natura rerum nullam nobis dederit cognitionem finium, ut ulla in re statuere possimus, quatenus [4]). Quod quidem magno esse argumento, falsam esse illam definitionem, effatum esse id, quod aut verum aut falsum sit [5]). Jam Cicero [6]), Carneadis proposita sententia, Antiochi omnia evertere studet. Duo scilicet placere Carneadi esse visorum genera. In uno hanc divisionem esse: alia quae percipi possint, alia quae non possint: in altero autem: alia visa esse probabilia, alia non probabilia. Visum nullum tale esse, ut perceptio consequatur; ut autem probatio, multa. Itaque et sensibus probanda multa sunt: teneatur modo illud, non inesse in his quicquam tale, quale non etiam falsum, nihil ab eo differens esse possit. — Si vero, sublata perceptione, quamvis relicta probabilitate, vitam omnem, sensum, artem, cetera tolli putent, in eo valde errare. Nam in plerisque actionibus probabilitate homines duci, vel Stoicis consentientibus, eamque ad actiones sufficere. — Neque sibi repugnare, si quis concedat, visa esse vel vera vel falsa, et contendi tamen, ea nihil inter se differre.

4) Academ. II. 28. §. 92.

5) Academ. II. 29. §. 95.

6) Academ. II. c. 31. §. 99.

Neque enim verum ab Academicis omnino tolli, sed tantum percipiendi signum. Sub finem hujus libri eleganter atque suaviter de summorum philosophorum in omnibus philosophiae partibus dissensionibus disserit: unde eluceat, nihil exploratum esse, sed in omnibus probabilitatem esse sequendam, atque adeo (quod Stoici negabant) sapientem opinari posse.

Pars quarta.

DE PHYSICA.

I.

Gravissima veteris philosophiae pars est physiologia, quae pulcherrimum de divina humanaque natura, de mundo, de animorum immortalitate complectitur argumentum. De qua quidem philosophiae parte quam animo menteque sua Cicero comprehensam habuerit sententiam, hoc diligentius videtur atque curatius inquirendum, quod mirum quam variae atque diversae et praeposterae de Cicerone in hoc philosophiae loco a recentioris aevi scriptoribus latae sunt sententiae [1]). Sed antequam nobis exponere licet, quid Cicero senserit de hoc argumento, pauca videntur esse praemonenda: quibus neglectis, nulla stabilis atque certa constitui potest sententia. Primum enim probe tenendum, quamquam multa de hac philosophiae parte a Cicerone conscripta sunt, eum tamen non perfectam quandam disciplinae artem composuisse. Tum vero nec hoc praetermittendum est, Ciceronem,

---

1) Cf. Reimann. histor. atheism. c. 38. §. 5. Plura etiam in hanc rem attulit Kreuzerus ad Cic. N. D. III. 40.

academicae philosophiae deditum, probabilitatem sequutum, atque adeo in perscrutanda hac difficillima quaestione magna cum circumspectione atque dubitatione versatum esse [2]).

Caput primum.

II.

Quaestio de natura deorum, quam in cognominibus libris pertractavit Cicero, ut et ad agnitionem animi pulcherrima et ad moderandam religionem necessaria ab eo dicitur [3]): ita eandem perdifficilem esse perque obscuram, idem conqueritur. Posteaquam omnes antiquorum philosophorum disciplinas eorumque varias interque se dissidentes de hac philosophiae parte opiniones excusserat atque examinaverat, et harum fieri profecto posse intellexerat ut nulla vera esset, nec tamen posse, ut plus una vera esset [4]), libros de Natura Deorum composuit. De quo philosophiae loco quum tam variae essent doctissimorum hominum

---

2) Ceterum conferatur de hoc argumento Petrus van Weselen Scholten in diss. de philosophiae Ciceronianae loco, qui est de Deo. Amstel. 1783. et Nahmmacher de theologia Ciceronis, qui tamen multa confudit, quae diligenter erant disjungenda atque separanda. Vide quae supra p. 73 et 74. in adnot. 4) attigimus.

3) Cic. N. D. I, 1. cf. Tusc. Qu. I, 26.

4) N. D. I, 2.

tamque discrepantes sententiae [5]), ut magno esse deberet argumento, caussam i. e. principium philosophiae esse inscientiam, et, quum nihil tam indignum sapientis gravitate esset atque constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit et cognitum, sine ulla dubitatione defendere, Academicorum rationem, qui prudenter a rebus incertis assensionem cohiberent, in explanando hoc argumento sequendam duxit.

III.

Quod si igitur Cottae, Academici, disputationes contra Vellejum, Epicureum, atque Lucilium Balbum, Stoicum, habitas diligenter examinamus, facile perspiciemus, Ciceroni in his libris non propositum fuisse, ut sua ipsius de divina natura expromoret sensa; sed ut in medio poneret aliorum philosophorum de natura deorum sententias: hanc sequutus rationem, ut eas academico more subtilissime in utramque partem veri reperiendi caussa disserendo excuteret, si quid forte rationibus et rei momentis comparandis atque ponderandis elici posset probabile [6]). Quo qui-

5) N. D. I, 1.

6) Cf. de Fato c. I. Quod autem in aliis libris feci, qui sunt de N. D., itemque in iis, quos de Divinatione edidi, ut in utramque partem perpetua explicaretur oratio, quo

dem consilio in tribus illis de Natura Deorum libris tres eruditos Romanos, se auditore, induxit, qui trium philosophiae disciplinarum principum maximeque tum vigentium rationem exponerent. Vellejus epicuream, Balbus stoicam rationem explicuit: quam utramque refutare conatur Cotta, Academicus: sub cujus persona, quamquam dissimulet, et stoici se rationem probare dicat, latere Ciceronem, primum exinde clarissime patet, quod in omnibus fere philosophicis libris hanc se philosophiam amplexari profitetur. Tum vero etiam haec sententia confirmatur ipsius Ciceronis verbis [7]), ubi, quum Vellejus, non sibi, sed Cottae Ciceronem venisse adjutorem, dixisset, quum ambo nihil scire ab eodem Philone didicissent, Cicero respondit: Quod didicerimus, Cotta viderit: tu autem nolo existimes, me adjutorem huic venisse, sed auditorem et quidem aequum, libero judicio, nulla ejusmodi adstrictum necessitate, ut mihi, velim nolim, sit certa quaedam tuenda sententia. Et verba quidem, quibus ultimus de Natura Deorum liber clauditur: "Sic, ait Cicero, discessimus, ut Vellejo Cottae disputatio verior, mihi Balbi ad veritatis similitudinem videretur esse propensior," haec, inquam, verba,

---

facilius id a quoque probaretur, quod cuique maxime probabile videretur.

7) N. D. I. 7.

tantum abest, ut sententiam nostram infringant atque elevent, ut magis cum Academicorum ratione, qui ex qualibet disciplina maxime probabilia eligebant, egregie conciliari queant, clarissimamque nobis accendant lucem de eo, quid de divina natura Cicero senserit. Ciceronis enim de divina natura sententia etsi non de industria ab ipso in his libris exposita est; ex iis tamen, quae de Stoicorum ratione sensit, quodammodo elici potest. Enimvero verba laudata, quibus addi possunt, quae Quintus, Ciceronis frater, stoicae disciplinae acerrimus defensor, in libro de Divinatione [8]) protulit: "Ejus (Cottae) orationi non sane desidero, quid respondeam: satis enim defensa religio est in secundo libro a Lucilio, cujus disputatio tibi ipsi, ut in extremo tertio scribis, ad veritatem est propensior" praeclare videntur probare atque ostendere, Ciceronem rationes quidem Stoicorum atque argumenta, conquisita omni opera, multa etiam levia et e longinquo arcessita [9]), quibus et esse deum, et mundum gubernare et administrare, commonstrare satagebant, ut rem obscurare magis quam illustrare et suae ipsi caussae diffidere viderentur; haec igitur argumenta repudiasse atque confutasse; sed multa ex

---

8) Divin. I, 5.

9) Wyttenbach. Bibl. crit. V. III. p. 3. pag. 12.

Balbi disputatione probasse, et, licet Academicorum more non certam quandam de deo atque divina providentia proferre voluerit sententiam, utrumque tamen et deum et providentiam probabiliter posuisse [1]. Cotta enim non solum esse deos concessit, verum etiam de diis immortalibus habere se, quod sentiat, non habere autem, quod Stoicis assentiatur, disertis verbis profitetur [2]. Ex hoc quidem atque alio loco [3] luculenter demonstrari posse arbitror, Ciceronem Cottam ita disputantem induxisse, ut non, quales dii essent, sed quales non essent, ostendere voluisse videretur. Cicero igitur in his libris Carneadis exemplum sequutus videtur, qui ita contra Stoicos disputavit, non ut deos tolleret, quo nihil minus philosopho conveniat, sed ut Stoicos nihil de diis explicare convinceret [4], atque, nullam veritus impietatis invidiam, ingenue, constanter et libere [5]

1) Quae quidem sententia confirmatur loco aliquo de Divin. I, 5. quem quidem locum integrum mox laudabimus. Vide pag. 176. not. 9).

2) N. D. III, 25.

3) N. D. I, 21. Roges me, Vellei, ait, qualem deorum naturam esse ducam, nihil fortasse respondeam. Quaere, putemne talem esse, qualis modo a te sit exposita: nihil dicam mihi videri minus.

4) N. D. III, 17.

5) Cf. Arnob. adv. gentes III. p. 176.

vanas atque inanes de deorum natura opiniones refellere et religionem ab omni liberare voluisse superstitione [6]). Quod vero Cotta subinde, an divinum numen sit, in dubium vocare videtur, hoc non omnino de divino numine ejusque providentia intelligendum est, sed tantum de Velleji et Balbi rationibus atque argumentis. Eas enim opiniones, quas a majoribus accepit de diis immortalibus, defensurum se semper, semperque defendisse; neque se ex ea opinione ullius unquam oratione aut docti aut indocti motum iri, ipse diserte dicit [7]). Huc denique accedunt verba, quibus Cotta disputationem suam contra Balbum ita concludit: Ego vero et opto redargui me, et ea, quae disputavi, disserere malui, quam judicare, et facile me a te vinci posse, certo scio.

IV. COTTAE DISPUTATIO CONTRA VELLEJUM.

Jam vero, ut nostra sententia firmioribus suffulciatur argumentis, paucis immorandum nobis erit Cottae Academici contra Vellejum Epicureum atque Balbum Stoicum disputationi. Primum sibi dicit non

6) Cf. Augustin. C. D. IV. c. 30.

7) N. D. III, 1.

tam facile in mentem venire solere, quare verum sit aliquid, quam quare falsum [8]). Tum sibi de deo cogitanti idem usu venire dicit quod Simonidi, qui quanto diutius de hac re considerabat, tanto sibi res videbatur obscurior; nec tamen, ut illum, omnem desperare veritatem, sed sibi inprimis placere deos esse: de hac re non pugnare se; rationem tamen eam, quae a Vellejo afferatur, non satis firmam putare. Quomodo autem Epicuri rationes et argumenta confutare aggressus sit, si quis accuratius cognoscere velit, adeat ipsum Ciceronem in primo libro de Natura Deorum inde a capite vigesimo tertio. Cotta hoc potissimum sectatus videtur consilium, ut, Epicurum, quantumvis ille quidem longe aliter se sentire simularet, si res accurate spectaretur, deos sustulisse, de-

8) N. D. I. 21 et 22. v. supra. Ceterum attentior lector animadvertet, in hac disputatione argumenta a Cotta refutari, quae tamen alibi ab ipso Cicerone probata sint. Sic N. D. I. 23. argumentum ab omnium hominum de divino numine consensione petitum refellitur. — Haec autem academica disputandi est ratio, quae, uti jam supra monuimus, in eo consistit, ut ad inveniendam veritatem vel certe verisimilitudinem rem aliquam ab omnibus partibus aggrediatur atque excutiat: ut quid in ea firmum atque certum, quid infirmum atque incertum sit, luculentius appareat. Eodem academico more Cotta ad infirmandam Velleji sententiam N. D. I, 31. aliquid affert, quod e Stoicorum decretis desumtum est, ut nihil sit in Velleji ratione, cui non aliquid opponi possit.

monstraret [9]). Laudat igitur Academiam, quae esse deos verisimillimam habeat sententiam [1]). Epicuri de atomis doctrinam rejicit plane Cotta eamque absurdam et nugatoriam judicat: assentitur stoicis et platonicis philosophis, qui mundum divina mente rationeque atque providentia regi gubernarique dicunt. Epicuri sententiam, beatitudinem nostram a fortuita individuorum corpusculorum concretione, unde omnia effingi efficique affirmaverat, proficisci ineptam esse nec ullis firmis superstructam fundamentis, censet: sumtis enim atomis, omnem nostram felicitatem perire: et, si concedatur, atomos esse, de diis deorumque virtutibus nihil omnino proferri posse. Epicureorum enim deos, eorumque virtutes nihil aliud esse, quam inepta somnia et puerilia quaedam commenta. In tota utique Epicuri disciplina imaginandi quidem vim dominari, sed nihil necessario cogi atque evinci.

V. COTTAE DE BALBI DISPUTATIONE SENTENTIA.

In secundo de Natura Deorum libro Cicero induxit Balbum, qui Stoicorum de hoc argumento sen-

---

9) Cf. N. D. I. c. 26. 29. 34. 37. 44.

1) Cf. N. D. I. 21. 22.

tentiam magna diligentia atque larga orationis copia exponit. Dolendum sane est, temporis injuria multa nobis eaque gravissima loca ex hac disputatione esse erepta. Tertia enim disputationis pars, quae est de deorum providentia, cum dimidia parte quartae deest. Pauca quaedam hujus loci servata sunt apud Lactantium [2]). Quatuor argumentis Stoici probare studebant, deos providere et consulere hominibus [3]). Quorum quidem argumentorum secundo et quarto quae Cotta respondit, ea sola integra ad nos pervenerunt. Quare saepe numero, quae desunt vel mutilata ad nos pervenerunt, e Cottae disputatione conjiciendo assequamur et quodam modo suppleamus, necesse erit. — Balbus e Stoicorum mente totam quaestionem in quatuor diviserat partes. Primum enim docuit, esse deos: deinde, quales essent: tum, mundum ab his administrari: postremo, consulere eos rebus humanis. Tertia et quarta pars sese includit; unde efficitur, Balbi disputationem nonnunquam confusam esse ac perturbatam, inprimis post cap. XXIX. Itaque Cotta, quum has quatuor gravissimas quaestiones audivisset atque perpendisset, unam post alteram academico more aggreditur, ita quidem, ut omnia,

---

2) Div. Instit. II, 3. 8.
3) N. D. II. 30-32.

quae contra Stoicorum rationem dici disputarique possint, consectari atque exagitare conetur. Accedit enim ad disputationem sic, quasi nihil unquam audierit de diis immortalibus, nihil cogitaverit; rudem se discipulum et integrum tradere vult Balbo [4]). Nam, quod omnes fere homines consentiant, esse deos, sibi quidem ex animo exuri non posse dicit. Id tamen ipsum, quod sibi persuasum sit auctoritate majorum, cur ita sit, nihil a Balbo se doceri, profitetur [5]) Jam Cotta pergit ad percensenda atque dijudicanda Balbi argumenta, quae in ipso Cicerone inde a capite quarto libri tertii de Natura Deorum inspiciantur.

VI. ANIMADVERSIONES QUAEDAM DE BALBI AC COTTAE DISPUTATIONE.

Balbus Stoicus magis ad Platonis philosophiam inclinat. Jam supra vidimus, Ciceronem multis in locis Platonem aemulatum esse [6]). Quod quum tenemus, facile puto esse ad intelligendum, Ciceronem non omnes a Balbo prolatas sententias rejecisse atque repudiasse, sed quibus quaestiones istae de natura

---

4) N. D. III. 3.

5) Cf. III. 7. "Non igitur adhuc, quantum quidem in te, Balbe, est, intelligo, deos esse: quos equidem credo esse, sed nihil docent Stoici" i. e. non ea afferunt argumenta, quae rem extra omnem ponant dubitationem. V. Kreuzer. ad N. D. III. 8. p. 512.

6) V. Franke libro laudato p. 182.

deorum a Stoicis demonstratae sint rationes et argumenta elevare atque evertere voluisse. Plato deum esse perfectissimum, atque morali libertate infinitaque praeditum benignitate statuit. Quare non tam refutare Balbi rationem cogitabat Cotta, quam ea, quae minus intellexisset, requirere [7]). Multa igitur in Balbi argumentationibus insunt, quae Cotta aut non aggressus est, aut certe non evertit atque sustulit. In gravissimis praestantissimisque philosophiae partibus de deo, de divina providentia, de libertate, de virtute, de morum probitatis virtutisque et felicitatis ratione Cotta etiam tum, quum Carneadis utitur rationibus, Stoicis cedere debet. Unde dilucide patet, Ciceronem Stoicorum quidem argumenta reprehendisse, sed in eorum sententiis plerumque acquievisse. Etenim eadem fere argumenta, quibus esse deos demonstravit, posuit Cicero: quod ex iis, quae postea dicentur, luculentissime patebit. Huc denique referenda sunt quibus Cotta disputationi contra Balbum

---

7) N. D. III. 1. — Sic N. D. III. 4. (ubi cf. Davis. ap. Kreuzer. p. 505. Tusc. Qu. III. init.) argumentum ab omnium gentium de diis immortalibus opinione, a Stoicis allatum, academica ratione idcirco rejecit, ut, Stoicos in re sibi non constitisse, ostenderet. Alibi enim hoc argumentum ipse Cicero affert. — Pari modo conclusione, quam contra Stoicos N. D. III. 15. Cotta protulit, non deos tollere voluit; sed demonstrare, Stoicorum argumentationem nullis firmis suffultam esse rationibus.

habitae finem imponit verba [8]). "Haec fere dicere habui de natura deorum, non ut eam tollerem, sed ut intelligeretis, quam esset obscura et quam difficiles explicatus haberet." Et quum Lucilius Cottam, quod vehementius invectus esset in eam Stoicorum rationem, quae de providentia deorum ab illis sanctissime et providentissime constituta sit, vituperasset, respondit ei Cotta: "Ego vero et opto redargui me, Balbe, et ea quae disputavi disserere malui, quam judicare, et facile me a te vinci posse certo scio [9])." Hoc facile vitio verti possit Ciceroni, quod Cottam ita disputantem induxerit, ut omnes sententias impugnaret atque subverteret, neque tamen aliam de hoc argumento poneret sententiam. Sed notandum est,

8) N. D. III. c. 39.

9) N. D. III. 40. Cum his verbis contendendus ac comparandus est Cicero Divin. I. 5. Perlegi, inquit Ciceronis frater, germanus Stoicus, tuum paullo ante tertium de N. D.: in quo disputatio Cottae quamquam labefactavit sententiam meam; non funditus tamen sustulit. Optime vero, respondet Cicero; etenim ipse Cotta sic disputat, ut Stoicorum magis argumenta confutet, quam hominum deleat religionem. Tum Quintus: Dicitur quidem istuc, inquit, a Cotta, et vero saepius: credo, ne communia jura migrare videatur; sed studio contra Stoicos disserendi deos mihi videtur funditus tollere. Ejus orationi non sane desidero, quid respondeam: satis enim defensa religio est in II libro a Lucilio; cujus disputatio tibi ipsi, ut in extremo tertio scribis, ad veritatem est visa propensior.

Ciceronis in his libris fuisse hoc consilium, quod etiam in praefatione dixit, ut principum tum philosophicarum disciplinarum de natura deorum sententias in medio poneret, nec tamen ipse rem dirimeret atque dijudicaret. Quod quidem consilium cum Academicorum ratione egregie consentit atque conspirat. Atque hac quidem ratione in impugnandis destruendisque erroribus ad verum reperiundum munita est via. Quae quum ita comparata sint, nemo sane, quid Cicero ipse de hoc philosophiae loco senserit atque statuerit, in his libris requiret [1]) aperte et palam explanatum.

Caput alterum.

QUID CICERO DE DIVINA NATURA SENSERIT, ANQUIRITUR.

VII.

Ciceronis de divina natura sententia quamquam in libris de Natura Deorum non de industria exposita est: tamen ex aliis ejusdem philosophi libris, quid ipse de hoc argumento senserit, meridiana luce clarius illucescit [2]). Huc quoque referenda sunt ea,

1) Quod idem significavit Tullius N. D. I. 5. his verbis: Qui autem requirunt, quid quaque de re ipsi sentiamus, curiosius id faciunt, quam necesse est.

2) Veluti ex libris de Legg., de Rep., inprimis ex Somnio Scipionis, ex Tusc. Qu., ex libello de Senectute, aliis.

quae in librorum de Natura Deorum prooemio non ex interlocutorum, sed ex ipsius Ciceronis ore atque persona dicta sunt. In orationibus atque epistolis quomodo versandum sit, supra indicavimus. In epistolis ad familares et ad Atticum scriptis praeclara nonnunquam de hoc philosophiae loco Ciceronis sensa consignata atque expressa leguntur.

Quae in prooemio ad libros de Natura Deorum ex suo ipse ore protulit, clarissime ostendunt, Ciceroni fuisse persuasissimum, deos esse, et omnes duce natura eo vehi [3]). Sunt philosophi, ita pergit Cicero, et fuerunt, qui omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem deos. Quorum si vera sententia est, quae potest esse pietas? quae sanctitas, quae religio? haec enim omnia pure ac caste tribuenda deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, et si est aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum [4]). Neque reliqua negligenda sunt, vbi, deo sublato, fidem et justitiam tolli, et fluere inde multa, quae repugnent, disertissimis verbis Cicero pronunciat: cum quibus alia in iisdem libris loca conferenda sunt [5]).

---

3) N. D. I. 1.
4) N. D. I. 2.
5) Veluti N. D. I. 22. III. 3. 4. 7. 17. 25. — Quae in II libro Academicorum a Cicerone dicta sunt, nihil probare

Ex ceteris Ciceronis scriptis philosophicis in recensendis explanandisque insignioribus tantum locis, quae clarissimam huic disputationis loco affundent lucem, acquiescamus. Pulcherrimus locus legitur in Tusculanis Quaestionibus [6]) ex Consolatione: "Nec vero deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omniaque sentiens et movens, ipsaque praedita motu sempiterno. Atque alibi in eodem libro [7]): non enim temere nec fortuito sati et creati sumus; sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano; nec id gigneret aut aleret, quod quum exantlavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. Alia praestantissima loca in Somnio Scipionis, in libello de Senectute, in libris de Officiis, de Legibus consignata sunt [8]): quae, Ciceronem firmiter animo menteque sua

possunt, eum nihil de his rebus statuisse: enimvero his libris academico more disputat contra eos, qui de rebus physicis sententiam suam sine ulla dubitatione pronunciant; Cicero autem in his rebus probabilitatem tantum sequendam esse dicit.

6) Tusc. Qu. I. 27.

7) Tusc. Qu. I, 49. Cf. I. 13. 17. 28. 29. Legg. I, 8. Divin. II. 17 etc.

8) Insigniora tantum loca significare satis ducimus, v. c. Somn. Scip. VIII. Offic. III, 6-10. cum vero jurato sententia di-

comprehensum habuisse, esse deos, extra omnem ponunt dubitationem.

VIII. ARGUMENTA, QUIBUS CICERO, ESSE DIVINUM NUMEN PROBAVIT.

Jam sequitur, ut, quibus argumentis atque rationibus hanc sententiam probaverit Tullius, exponamus. Cujus rei argumenta quum in nullo Ciceronis libro philosophico omnia congesta reperiantur, atque adeo singula ex singulis ejus scriptis colligenda sint, hunc disputationis locum difficillimos habere explicatus, vix est, quod moneamus.

Ac primum quidem idemque gravissimum argumentum in Timaei [9]) fragmentis nobis est servatum: quod ex Platonis cognomine libro desumtum haud dubie probavit Cicero. De mundo id primum consideremus, semperne fuerit, nullo generatus ortu, an ortus sit, an ab aliquo temporis principatu ortus est, quandoquidem cernitur et tangitur et est undique

---

cenda sit: meminerit, deum se adhibere testem, i. e., ut arbitror, mentem suam, qua nihil homini dedit deus ipse divinius. ubi cf. Heussinger. Legg. I. 6. II. 4. alia.

9) Timaei fragm. c. II.: quocum loco conspirant quae a Chrysippo dicuntur in II libro de N. D.

corporatus. Omnia autem talia sensum movent; sensusque moventia quae sunt, eadem in opinione considunt, quae ortum habere gignique diximus: nihil autem gigni posse sine caussis. — Neque adeo homines in se sui caussam continere eo probare studet, quod, quum quisque ex suis parentibus dicatur progenitus esse, ista ratio in immensum serpere nequeat; si quidem eo tandem deveniendum, ut proli parentes desint [1]). Cujus rei rationem inde reddit, quod omne corpus sit dividuum, adeoque dirimi et distrahi possit: quoniam omne animal patibilem naturam habeat; nec ullum sit, quod effugiat accipiendi aliquid extrinsecus, i. e. quasi ferendi [2]) et patiendi necessitatem; et quod omnia, quae sunt, e quibus cuncta constant, mutabilia sint [3]). Quum igitur, nihil in mundo a se esse necessarium, statuerit Cicero, eundem numen aliquod divinum, mundoque melius, quod eum effecerit, posuisse, sponte apparere videtur [4]). Porro Ciceroni omnium gentium atque nationum consentiens de diis opinio, firmissimum argu-

---

1) N. D. III. 20.
2) i. e. faciendi. v. Wyttenbach. ad h. l. in Scholiis Select.
3) N, D. III. 12.
4) Cf. Tusc. Qu. I. 28. 25. 27. Legg. II. 5. N. D. III. 12-19. ubi Cotta carneadeo more disputat, mundum et ejus partes aeternas esse non posse. Cf. Plat. Legg. X. p. 90-96. Tennemann, *Gesch. der Philos.* T. II. p. 380.

mentum, cur deos esse credamus, afferri videtur [5]). In hominibus enim nulla gens neque tam immansueta est neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem deum habere deceat, tamen habendum sciat. Multi quidem de diis prave sentiunt; id enim vitioso more effici solet; omnes tamen esse vim et naturam divinam arbitrantur: nec vero id collocutio hominum aut consensus efficit, non institutis opinio est confirmata, non legibus; omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est [6]). — Deos igitur esse natura opinamur, sed quales sint ratione cognoscimus [7]). Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat deum, qui, unde ortus sit, quasi recordetur ac noscat [8]). Ex hac omnium gentium in statuendo aliquo divino numine consensione atque conspiratione efficitur, nos insitas dei vel potius innatas cognitiones habere: quod alia hujus rei idonea ratio reddi nequit. Tum ordo rerum coelestium atque mira totius mundi

---

5) Tusc. Qu. I. 13. Legg. I. 8.

6) Huic argumento multum tribuit Socrates, uti videre est e Xenophont. M. S. I, 4. Cic. N. D. II. 53 sq.

7) Tusc. Qu. I, 17.

8) Legg. I. 8. ubi v. Davis. et Turneb. Sext. Emp. c. Mathem. IX, 61 ibiq. Fabric. Conferendus est praeclarissimus atque omni laudatione sublimior de numine divino locus, a Cicerone in praestanti illa pro Milone oratione cap. 30. 31. consignatus. Cf. Tusc. Qu. I, 28.

pulchritudo cogit confiteri, esse praestantem aliquam aeternamque naturam, et eam suspiciendam admirandamque hominum generi [9]). Haec enim sunt ejusmodi, ut, quum speciem candoremque coeli videmus, caelestiaque contemplamur, deinde conversionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus, tum vicissitudines temporum, et figuris animantium solertem subtilemque descriptionem partium, et fabricam membrorum admirabilem consideramus — haec igitur et alia innumerabilia quum cernimus, nihil videtur tam apertum esse tamque perspicuum, quam esse aliquod numen, quod haec effecerit, atque regat gubernetque [1]). Commoda porro et opportunitates hominum generi a diis cumulate affluenterque impertitae deum esse loquuntur [2]). Haec enim insignis omnium rerum ratio, modus et disciplina et connexa inter se utilitas sine caussa fieri non potuit; sed est aliquis, qui praesit omnibus, atque omnia divina providentia moderetur. Deinde rationis atque

9) Divin. II, 72. Cf. Fabric. ad Sext. Emp. adv. Math. IX. 26-28. p. 554. Probat igitur Cicero Balbi Stoici argumentum in libro II. de N. D.

1) Tusc. Qu. I, 28. Cf. quae disputat Balbus in libro secundo de Nat. Deor. 24. Adde Orat. pro harusp. respons. c. IX.

2) Tusc. Qu. I, 28. cf. N. D. II. 2.

mentis origo [3]) nusquam in terra reperiri potest. Alia, quibus cohaerent homines, e mortali genere sumta sunt, quae fragilia sunt et caduca. Animus est ingeneratus a deo, ex quo vere vel agnatio nobiscum coelestibus, vel genus vel stirps appellari potest. Itaque ex tot generibus nullum est animal praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei [4]). Huc denique accedit evidens progressio omnium animalium et rerum ad suae naturae convenientem perfectionem, inprimis hominis ad rationis perfectionem [5]). Haec fere sunt argumenta, quibus Cicero, esse deum, ostensum atque commonstratum ivit. De deorum forma, facie atque loco haud quaerendum esse, arbitratus est. Si enim, inquit, quod nunquam vidimus, id quale sit, intelligere non pos-

3) Hoc argumentum mutuatus est Cicero a Socrate ap. Xenophont. M. S. I. 4, 8. cf. Plat. Phileb. p. 233-241. et alibi. V. Tennemann. *Gesch. d. Phil.* T. II. p. 381. Cic. N. D. II, 6.

4) Legg. I. 8.

5) Fin. IV. 14. — Ceterum quod alia argumenta, quibus recentioris aevi philosophi, esse deum, demonstrare conati sunt, nondum in Ciceronis scriptis philosophicis reperiantur, non est, cur miremur. Argumentum ab innata dei notione desumtum Cicero quidem tenuit, sed aliter ac recentiores philosophi (Cartesius princip. philosophiae I. §. 14.), uti jam supra vidimus. Aliud argumentum ex idea dei perfectissimi deductum, ex qua, esse deum, necessario consequatur, scholasticorum demum tempore inventum est.

sumus, certe deum ipsum cogitatione complecti non possumus [6]).

IX. CICERONI, UNUM DEUM PRINCIPEM ATQUE SUPREMUM ESSE, PERSUASUM FUISSE, OSTENDITUR.

Priusquam disputatio nostra ad alteram physices partem, quae est de virtutibus perfectionibusque numinis divini, progredi potest, quaestioni gravissimae multumque a viris doctis agitatae [7]): "Utrum Cicero unum tantum deum an plures esse putaverit," immorandum nobis erit. Quemadmodum jam supra clarissime intelleximus, multis in physicae partibus Ciceronem Platonis Stoicorumque, qui multa ex Platone mutuati sunt decreta, philosophiam sequutum esse: ita in hoc quoque argumento philosophum nostrum cum Platone Stoicisque amicissime conspirare, et loca, quorum jam supra mentionem fecimus, et multa alia luculentissime videntur demonstrare.

Plato atque Stoici unum supremum atque principem deum esse statuebant, a minoribus diis longo intervallo atque adeo toto genere distantem [8]). Unum

6) Tusc. Qu. I, 22. cf. c. 29. Legg I, 8.

7) Cf. Cudworthi systema intellectuale. T. I. c. IV. p. 666 sq.

8) De Platone vide Tennemann *Gesch. der Phil.* T. II.: de Stoicis Wyttenbachii dissert. de Deo in script. Legat.

tantum supremum deum statuisse Ciceronem vel ex eo patet, quod Platonis verba: "Principii nulla origo est; nam e principio oriuntur omnia; ipsum autem nulla ex re alia nasci potest" miratur et sua facit [9]). Illustrissimus locus extat in Legibus [1]), ubi supremum deum, qui hominum animos generavit, quem et mentem divinam et praepotentem deum vocat, accurate distinxit a diis reliquis, qui rerum universitatem communem cum hominibus veluti civitatem habeant. Atque etiam comparatu dignissima est Cottae in tertio de Natura Deorum disputatio contra Stoicorum magnam deorum multitudinem [2]). Si dii sunt, inquit, quos colimus et accepimus: cur non eodem in genere Serapim Isimque numeramus? quod si facimus, cur barbarorum deos repudiemus? aut cur non omnes omnino res inanimes pariter atque animantes in deorum numerum cooptemus? Ergo hoc aut in immensum serpet, aut nihil horum recipiemus; nec illa infinita ratio superstitionis probabitur. Huc accedit,

Stolp. p. 23. ibique laudat. Plut. de oraculorum defectu p. 420. A. Kreuzer. ad Cic. N. D. III, 16. — Adde Gedikium ad hist. phil. e Cicerone collectam p. 295. Diog. L. VII, 147.

9) Tusc. Qu I. 23.

1) Legg. I. 7. V. Moshem. ad Cudworthi syst. intell. T. I. p. 277. not. x).

2) N. D. III. 16. 19.

quod in sexcentis aliis locis de uno tantum deo, non de diis Cicero loquitur. Luculenta inprimis loca expressa sunt in insigni illo atque illustri de Republica fragmento, quod Somnium Scipionis dicitur; quae etiam, qualem illum unum deum cogitaverit Cicero praeclare illustrant [3]). Veluti: Nihil est enim principi deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia coetusque hominum jure sociati: et mox, novem tibi orbibus vel potius globis connexa sunt omnia: quorum unus est caelestis, extimus, qui reliquos omnes complectitur, summus ipse deus, arcens et continens ceteros [4]). Et alibi, si quidem deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit et moderatur id corpus, cui praepositus est, quam hunc mundum ille princeps deus, et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternusque movet [5]). Multa alia loca sciens atque prudens omitto, ne nostri instituti fines excedam. Quae quidem omnia si cogitatione nostra complectamur, videmus, Ciceronem unum deum principem atque summum statuisse, cae-

3) Cf. Somn. Scip. c. III.
4) c. IV.
5) c. VIII. Cf. Legg. II, 4. I. 7. 8. 15. Tusc. Qu. I. 27. 29. Divin. II. 60.

lum, terras, maria rerumque omnium naturam moderantem gubernantemque. — At innumerabilia contra in Ciceronis scriptis occurrunt loca, in quibus deorum nomen plurali numero posuit: quae si inter se accurate comparantur atque componuntur, Cicero diversa de diis ratione loquutus videtur. Enimvero primum sola consuetudine atque loquendi more ductus saepissime deorum nomen plurali numero usurpavit. Saepius igitur vocabula deus et dii promiscue adhibuit [6]). Tum vero Cicero praeter summum illum atque principem deum etiam alios esse deos, longo quidem illo inferiores, sed tamen immortales rerumque omnium praestantia excellentes [7]), atque principem illum deum inferiorum deorum opera, tanquam ministris in administratione mundi uti, statuisse videtur [8]). In qua quidem re cum Platonis et Stoicorum philosophia conspirat [9]). Denique saepenumero

---

6) V. Moshem. ad Cudworth. syst. intellect. I. p. 668. — Advertamus ad verba in Legg. I, 6. Quoniam in populari ratione omnis nostra versatur oratio, populariter interdum loqui necesse est.

7) Divin. I. 1. II. 63. 65.

8) V. Cudworth. syst. intell. T. I. p. 378. p. 670.

9) Cf. Legum prooem. I. 7. Fin. IV. 5. Legg. I. 23. 24. ubi v. Davis. et Turneb. II, 3. 4. ubi deum supremum a reliquis diis minoribus distinxit Cicero.

deos dixit, ubi omnino de divina natura intelligendum est [1]).

Caput tertium.

DE VIRTUTIBUS ATQUE PERFECTIONIBUS DIVINIS.

X.

Constitutis iis, quae de deo atque divino numine apud Ciceronem dicenda esse videbantur, jam qualem Cicero de proprietatibus virtutibusque divinis animo conceptam habuerit sententiam, age videamus.

Primum deus est nulli naturae subjectus et obediens, sed omnis naturae auctor atque caussa [2]). Deus igitur ab omni aeternitate fuit, atque in omnem futurus est perpetuitatem. Porro quum deus sit omnium rerum auctor atque caussa efficiens, sequitur, ut deus sit potentissimus atque adeo omnia ei pareant obediantque [3]). Tum deus omnia praestantia atque perfectione superat: omnia sentit, movet, regit gubernatque [4]), sine ullo labore [5]). Deinde deus est immutabilis, omnis omnino mutationis expers.

---

1) Cf. Tusc. Qu. I. 26. Legg. I. 22. de Amicit. 6. 13.

2) Hoc consequens est ex iis quae supra diximus de mundi omniumque naturarum origine.

3) N. D. III. 39. Legg. III. 1.

4) Tusc. Qu. I. 27. Somn. Scip. VIII. Divin. II. 60.

5) N. D. III. 39.

Is qui cuncta composuit, constanter in suo statu manet [6]). Deus est mens soluta quaedam et segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens, ipsaque praedita motu sempiterno [7]) simplicique natura [8]) ita ut neque oculis conspici, neque sensu ullo percipi, sed sola mente cogitari atque depingi queat. Ex quibus omnibus consequens est, Ciceronem summam perfectissimamque deo tribuisse libertatem, quae in eo posita est, ut semper optimum quidque et consilio suo convenientissimum sequatur. — Ex admirabili rerum omnium in natura ordine atque disciplina efficitur, deum, qui haec omnia creavit atque effecit, esse intelligentia summa praeditum [9]). Si autem nihil est, quod divino numini obscurum esse possit, sponte intelligitur, deum rerum omnium et maximarum et minimarum et praeterita-

---

6) Quod Cicero de Universitate c. XIII. probavit. Cf. N. D. III. 15. ubi Cotta, dolorem, laborem molestum aut periculum attingere deum posse, negat. Cicero ap. Lactant V, 8.

7) Tusc. Qu. I, 27. Cf. Plat. Timaeus. p. 317 sq. Tennemann. *Gesch. der Phil.* T. II. p. 583.

8) Veteres philosophi verbum *simplex* alio sensu sumserunt, ac nostrates philosophi. Duplicem enim statuebant materiam: unam ex diversi generis partibus ita conflatam, ut divelli iterum et dissipari posset: alteram ex ejusdem generis partibus compositam, atque omnis expertem mutationis.

9) Fin. V. 16. Tusc. Qu. I. 22. V. 13. Legg. I. 7-8.

rum et praesentium et futurarum complecti cognitionem [1]). Etenim deus et semetipsum suamque praestantiam [2]), et omnium mentes cognitas habet atque perspectas. Deorum enim animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt, quid quisque sentiat: unde fit, ut etiam quum homines taciti optant quid, deus illud exaudiat [3]). Ex eodem illo rerum omnium in natura ordine, conventu atque conspiratione sponte apparet, summam divino numini tribuendam esse sapientiam [4]). Omnia sapientissimo consilio deus effecit atque efficit: nihil temere ac sine ratione molitur: quod etiam ab hominum constantia abhorret [5]).

XI. DEO EST VOLUNTAS [6]).

Deus est ad bonum omne proclivis, idque qua est bonitate desiderat. Si, quicquid boni huic mundo et

---

1) Tusc. Qu. V. 25. Divin. I. 1. nec tamen repugnat Divin. II. 7. ubi Cicero academico more disputat.

2) Tusc. Qu. I. 22. Animum nosse, nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi praeceptum, sic ut tributum deo sit: hoc est, se ipsum posse cognoscere. Fin. V. 16. Leg. I. 22.

3) Divin. II. 30.

4) Cic. ap. Lactant. V. 8. Legg. I, 7.

5) Divin. II. 60.

6) Quam Stoici βούλησιν nuncupabant, quae quid cum ratione et considerate desiderat.

quae in eo sunt rebus a divino numine tributum est, consideramus, si inprimis nosmetipsos, nostrasque mentis ac corporis vires et facultates perpendimus, dubitare non possumus, quin deus sit beneficentissimus atque benignissimus [7]). In Timaeo [8]) deus optimus et praestantissimus genitor animum dicitur procreasse, quo nihil melius sit. Hominum generi omnibusque quae in mundo sunt rebus, quicquid perfectionis in eas cadere potest, volens lubensque impertitur. Quare Epicurus, quum opem et gratias diis immortalibus sustulisset, radicitus religionem extraxisse ex animis hominum Cottae visus est [9]). Cum perfectissima benignitate atque bonitate divina arctissime cohaeret perfectissima justitia, i. e. bonitas ad sapientiam exacta et temperata. Haec est omnium virtutum domina et regina, sine qua nihil laudabile fieri atque geri potest. Deus nunquam nec irascitur nec nocet [1]). Deus suam cuique virtuti praemium, et suam cuique peccato poenam constituit. Summa

---

7) Timaeus c. III. Mundum implevit bonis omnibus.

8) c. VIII.

9) N. D. I. 43.

1) Cic de Off. III. 28. At hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modo, qui deum nihil habere ipsum negotii, nihil exhibere alteri, sed eorum etiam, qui deum semper agere aliquid, et moliri volunt, nunquam nec irasci deum, nec nocere. cf. c. 29.

in eo est recti praeceptio pravique depulsio [2]). Qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intuetur deus; piorum et impiorum habet rationem [3]). Impii interdum poenas effugere videntur; sed non recte existimamus, quae poena divina sit, et opinionibus vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus: morte aut dolore corporis aut luctu animi aut offensione judicii hominum miserias consideramus; quae humana quidem sunt et multis bonis viris acciderunt; sed sceleris est poena tristis; et praeter eos eventus, qui sequuntur, per se ipsa maxima est. Vidimus eos, qui, nisi odissent patriam, nunquam inimici nobis fuissent, ardentes cum cupiditate, tum metu, tum conscientia [4]), quid agerent, modo timentes, vicissim contemnentes religiones: judicia perrupta iisdem: corrupta hominum, non deorum [5]). Etiamsi optimi quidem homines gravissimam nonnunquam experti sunt fortunam, ac multa perpessi incommoda: tamen iidem beati sunt, et aequabili perfruuntur felicitate, quae in tranquilli-

2) N. D. II, 31.

3) Legg. II, 17. II. 8. Deus ipse judex dicitur futurus apud hos qui se caste non adierint.

4) Conscientia est recordatio rectae voluntatis aut male factorum, quae consequitur actiones: Cf. ad Divers. VI. ep. I. et IV.

5) Legg. II. 17. ubi cf. Davis. et Turneb. Lectio corrupta est. Cf. Orat. de harusp. respons. cf. XVII.

tate animi et benefactorum recordatione reposita est [6]. Magnifice ac divine de hac re Platonis imitatione scribit Cicero in Somnio Scipionis: postquam in omni reipublicae otio ac negotio palmam justitiae dedit, sacras immortalium animarum sedes et caelestium arcana regionum in ipso consummati operis fastigio locavit, indicans quo his perveniendum vel potius revertendum sit, qui rempublicam cum prudentia, justitia, fortitudine ac moderatione tractaverint [7]. Sed quamquam sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum virtutis est praemium [8]; tamen illa divina virtus non statuas plumbo inhaerentes, nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quaedam et viridiora praemiorum genera desiderat [9]. Omnibus, qui patriam conservarint, adjuverint, auxerint, certum esse in caelo definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur: nihil est enim illi principi deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia coetusque hominum jure sociati, quae civitates appellantur: harum rectores et conservatores hinc profecti huc re-

---

6) Cf. Tusc. Qu. V, 6. Epist. VI. ep. 4. N. D. III. 32.

7) Macrob. in Somn. Scip. I. 1.

8) Cf. Plat. Reip. X. p. 608.

9) Macrob. II, 4.

vertuntur [1]). Atque ego, inquit Scipio, ut primum, fletu represso, loqui posse coepi, quaeso, inquam, pater sanctissime atque optime, quoniam haec est vita, ut Africanum audio dicere, quid moror in terris, quin hinc ad vos venire propero? Non est ita, inquit ille, nisi deus is, cujus hoc templum est omne, quod conspicis [2]), istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest; homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae terra dicitur: hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis; quae globosae et rotundae, divinis animatae mentibus, circos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili. Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis: nec injussu ejus, a quo ille vobis est datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a deo defugisse videamini. Sed sic, Scipio, ut avus hic tuus, ut ego, qui te genui, justitiam cole et pietatem: quae quum sit magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est: ea vita via est in

---

1) Somn. Scip. Reip. VI, 13. ed. Maj. Cf. de Senect. XXI sq. Ii vivunt, qui ex corporum vinculis, tanquam e carcere evolaverunt; vestra vero quae dicitur vita mors est. Somn. Scip. c. XIV. ubi v. Maj. p. 319.

2) Macrob. ad Somn. Scip. I, 14.

caelum et in hunc coetum eorum, qui jam vixerunt, et corpore laxati illum incolunt locum, quem vides [3]). Haec quidem loca, etsi paullo longiora, quum ob argumenti praestantiam, tum ob orationis amplitudinem majestatemque non solum indicanda, sed integra apponenda videbantur.

Deus est sanctissimus, i. e. ab omnibus vitiis purus, ab omni imperfectione alienus, optimum, quantum fieri potest, cupit, sine ullo commodi studio, omnia mala, scelera et nequitiam aversatur et detestatur. Ejus voluntas semper in optimum fertur. "Neque enim esse mens divina sine ratione potest, nec ratio divina non hanc vim in rectis pravisque sanciendis habere [4])." Deus solus est aptus ad jubendum et ve-

---

3) Somn. Scip. XV. adde XVI sq. Cf. ibid. Reip. VI. 26. Hanc (animi vim) tu exercere in optimis rebus: sunt autem optimae curae de salute patriae: quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit. Idque ocius faciet, si jam tum, cum erit inclusus in corpore, eminebit foras et ea quae extra erunt contemplans, quum maxime se a corpore abstrahet. Nam eorum animi qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros praebuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium deorum et hominum jura violaverunt, corporibus elapsi circum terram ipsam volutantur, nec hunc in locum, nisi multis exagitati saeculis, revertuntur. — Adde omnino Macrob. Somn. Scip. I. 4. II, 17. Cf. Tusc. Qu. I, 9. 30. Lael. III, 19. Legg. II. 11.

4) Legg. II. 4. Alia loca jam supra laudavimus.

tandum. Beatus denique deus est, qui suam ipsius praestantiam perfectionemque cognitam habet atque perspectam. Beatitas autem non in otio posita est, neque in animi voluptate, quae proficiscitur a corpore et redit in corpus [5]), quorum nihil in deum cadere potest, qui nihil habeat corporei: virtus autem ei adscribenda est eaque actuosa [6]). Utatur enim deus suis bonis oportet et fruatur, qui beatus est [7]).

Caput quartum.

DE OPERIBUS ATQUE ACTIONIBUS DIVINIS.

XII. DE MUNDO.

Mundi auctor est deus [8]); omnia igitur quae sunt ad deum omnium rerum parentem atque effectorem referenda sunt [9]). Efformavit autem mundum ex aeterna quadam materia. "Primum igitur non est probabile, eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse divina providentia effectam; sed habere et habuisse vim et naturam suam. Ut igitur faber, cum quid aedificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea utitur, quae sit parata, fictorque item cera: sic

5) Quod Epicurus statuebat, contra quem disputat Cotta V. N. D. I. 37. 41. Fin. II. 27. 34.

6) N. D. I. 40.

7) N. D. I. 37. Cf. Tusc. Qu. V. 13.

8) Timaeus c. II. V. supra.

9) Tim. c. 9.

isti providentiae divinae materiam praesto esse oportuit, non quam ipse faceret, sed quam haberet paratam. Quodsi non est a deo materia facta, ne terra quidem et aqua et aer et ignis a deo factus est [1])."

XIII. DE PROVIDENTIA.

Deum non solum mundum et quae in eo continentur res creasse, verum etiam sapientissime regere atque administrare moderarique, Cicero statuit. Haec est divina providentia, quae et in universi omnino et rerum omnium cum maximarum tum minimarum et omnium hominum perpetua conservatione, cura et administratione gubernationeque conspicua est. Sententia de divina providentia a Cicerone in secundo libro de Legibus [2]) expressa atque consignata est longe magnificentissima. "Sit igitur jam hoc a prin-

---

1) Cic. N, D. III. ap. Lact. Inst. Div. II, 9. Quod Cicero dixit, nec quatuor elementa a deo esse effecta atque efformata, id academice contra Stoicos disputatum est. Etenim in hoc quoque philosophiae loco Ciceronem Platonis amplexatum fuisse sententiam, ex iis, quae supra diximus, probabile esse videtur. Cf. Tusc. Qu. I. 28. — Ceterum hic de materia aeterna error inter veteres philosophos longe dissitus fuit atque propagatus. Ex nihilo enim nihil fieri posse sentiebant. Divin. II. 16. Fat. c. 9. ubi v. Turneb. et Davis. V. Bayle Diction. hist crit. s. v. Spinoza. not. X.

2) Legg. II. 7. ubi v. Turneb. Cf. I. 23.

cipio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores deos; eaque quae geruntur eorum geri judicio ac numine, eosdemque de genere hominum bene mereri;" et sic porro. Modestiam quandam cognitio rerum caelestium affert iis, qui videant, quanta sit etiam apud deos moderatio, quantus ordo; et magnitudinem animi, deorum opera et facta cernentibus; justitiam etiam, cum cognitum habeas, quid sit summi rectoris et domini numen, quod consilium, quae voluntas, cujus ad naturam apta ratio vera illa et summa lex a philosophis dicitur [3]). Hinc Cicero, tantam rerum ubertatem ad hominum commoditates et usus deum largitum esse, ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata videantur, diserte pronunciat [4]). Haec igitur loca, quibus multa

3) Fin. IV. 5. cf. Legg. II. 4.

4) Legg. I. 8. Tusc. Qu. I. 49. Praeter loca citata adi: Fin. V. 11. Somn. Scip. c. III. et VIII. Legg. II. 4. I. 7. III. 1. Tusc. Qu. I. 25. N. D. I. 2. ubi cf. Davis. ap. Kreuzer. p. 14. N. D. III. 10. Neque tamen obstant ea quae academica ratione contra Stoicorum providentiam in Ciceronis scriptis disseruntur. V. quae supra monuimus. Veluti N. D. III. 35. Divin. II. 12. 17. et alibi. Porro Ciceronis de divina providentia sententia confirmatur multis praestantissimis de hoc argumento locis a Cicerone in orationibus et in epistolis perscriptis. V. Scholten. l. c. p. 55 sq. V. c. Catil. I. 5. pro Marcello III. ad Attic. I, 16. ad Divers. V. 16. alia. Adde Lactant. de falsa religione. I. §. 24.

alia addi possint, manifestissima atque apertissima exhibent indicia, e quibus appareat, Ciceronem hanc firmissime tenuisse sententiam, ut non solum mundus divini numinis providentia administraretur, verum etiam idem consuleret rebus humanis et universis et singulis.

Caput quintum.

DE RELIGIONE.

XIV.

Si divinum numen tale esse credimus, quale descripsimus, hujus perfectionum, virtutum actionumque cogitatio, ut pie illud sancteque colamus, nos cohortari atque commonere debet. Divinus autem cultus oritur atque enascitur e dei ejusque praestantiae cognitione [5]): omnis igitur superstitio et perversa de deo opinio ab illo quam longissime remota esse debet [6]). Cultus autem duplex est, internus, qui in officiis erga deum perficiendis versatur, atque externus [7]), qui est quasi significatio quaedam atque testi-

5) Cf. Senec. ep. XCV. §. 47-51.: cujus verba e Platone hausta videntur Ruhkophio in annot. ad h. l. — Cf. Cic. N. D. II. 28.

6) Divin. II, 72. Divin. I. 4.

7) Quod eo significare videtur Cicero Invent. lib. II. quod religionem dicit esse in metu et caerimonia deorum.

ficatio erga deum officiorum per solennes quasdam actiones, caerimonias, ritus, sacra. Internus cultus in perspiciendis imitandisque summi dei virtutibus, et in praestando ejus voluntati legibusque obsequio consistit [8]). Officia erga deum non in eo posita sunt, ut homines mortales immortali deo aliquid praestare debeant, quod per virium nostrarum imbecillitatem fieri nequit, sed in eo, ut recte erga deum atque uti fas est agat. Primum igitur nos, divini numinis virtutibus perfectionibusque cognitis, hac cogitatione ita simus agitati atque percussi, ut deum immortalem summa prosequamur reverentia, eamque sensibus, actionibusque, dei reverentiam exprimentibus, testificemur oportet [9]). Atque ex hac dei reverentia pietas atque sanctitas existit. Nulla enim est erga deos pietas, nisi honesta de numine divino ac mente opinio, quum expeti nihil ab iis, quod sit injustum atque inhonestum, arbitrere [1]). Sanctitas est scientia colendorum deorum [2]). Ii igitur sunt sancti, qui meritam diis immortalibus gratiam justis honoribus et memori mente persolvunt [3]). Quum igitur deus

8) Cf. Ernesti Init. doctr. solid. Metaphys. c. IV.

9) Cf. Fin. IV. 5.

1) pro Domo 41.

2) N. D. I. 41. ubi v. Kreuzer. p. 15.

3) pro Plancio c. 33.

omnium bonorum sit auctor atque parens, mundum ejusque partes gubernet modereturque, atque humano generi consulat, pietas, sanctitas, religio pure deo ac caste tribuenda sunt [4]). In specie autem fictae simulationis sicut reliquae virtutes, ita pietas inesse non potest; cum qua simul et sanctitatem et religionem tolli necesse est: quibus sublatis, perturbatio vitae sequitur et magna confusio [5]). Gratissimo igitur purissimoque animo divinam bonitatem sapientiamque agnoscere atque pie venerari, animumque gratum obsequio dei voluntati legibusque praestando testificari debemus. Sed nulla dei colendi venerandique ratio praestantior est, quam fiducia in deo posita, quae in eo consistit, ut nobis sit persuasum, nos, in divina tutela atque providentia acquiescentes, felices fore, semperque nobis a deo consultum iri. Quam quidem sententiam expressit Cicero his verbis: Nec se intelligunt homines esse consanguineos et subjectos omnes sub unam eandemque tutelam: quod si teneretur, deorum profecto vitam omnes viveremus [6]).

---

4) N. D. I. 2. Cf. Offic. II. 4. Deos placatos pietas efficiet et sanctitas.

5) N. D. I. 2. prooem. Praeclarae de deorum cultu sententiae continentur in Legg. II. 8. 10. ubi cf. Dav. et Turnebus. Parad. I. 3. Similia in Platon. Alcib. II. p. 459.

6) ap. Lact. V. 8. Cf. Somn. Scip. III. IV. VIII. Tusc. Qu. I. 30. V. 25. Academ. II, 41. — Ceterum cultum externum

Caput sextum.

XV. DE DIVINATIONE.

Locus, quem de divina natura pertractavimus, nos monet, ut quaestionem de divinatione, quam peculiari scriptione prolixe et acute exposuit Cicero, difficilem illam quidem atque impeditam, breviter et dilucide, quantum in nobis est, enucleemus atque explanemus.

Divinatio, ut ab ejus definitione exordiar, est rerum futurarum praesensio et praesignificatio. Haec de divinatione superstitio, longe lateque tum propagata et quasi dissita, a plurimis philosophis, apprime vero a Stoicis, celebrata erat [7]). Cicero igitur in primo de Divinatione libro Quintum, fratrem, germanum Stoicum, divinationis patrocinium suscipientem eamque ex Stoicorum ratione acerrime defendentem induxit; ipse vero in altero libro hanc superstitionem confutare atque convellere conatus est. Stoici

---

Cicero Socratis exemplo reipublicae atque patriorum morum et institutorum majorum gratia retinendum, servandum colendumque esse statuisse videtur. Divin. II. 12. 33. 72. Legg. II. 8 sq. V. Kreuzer. ad N. D. III. 2. p. 496. Cf. Xenophont. M. S. I. 3, 1. IV. 3, 16. et alibi. Preces etiam, quae e fiducia in deo posita et innato omnibus felicitatis desiderio existunt, et vel intra animum se continent, vel verbis etiam exprimuntur, diis immortalibus adhibendas esse censuit. Cf. ad Divers. I. ep. 3. In orationibus saepe adhibuit preces, v. c. pro Rosc. Am. 11. Cf. Scholt. l. c. p. 76.

7) Cf. Tennemann. *Gesch. der Phil.* T. V. p. 121.

male ita argumentabantur: Si dii sunt, est divinatio; sunt autem dii, est ergo divinatio [8]): nam si sunt dii, neque ante declarant hominibus quae futura sunt; aut non diligunt homines, aut quid eventurum sit ignorant; aut existimant, nihil interesse hominem scire quid sit futurum, aut non censent esse suae majestatis, praesignificare hominibus, quae sint futura, aut ea ne ipsi quidem dii significare possunt. At nihil horum de diis cogitari potest; est igitur divinatio [9]). Priori conclusioni ita respondit, ut aeque bene concludi posse diceret: multo est probabilius, non est autem divinatio: non sunt ergo dii. Vide, inquit Tullius noster, quam temere committant Stoici, ut, si nulla sit divinatio, nulli sint dii: divinatio enim perspicue tollitur: deos esse retinendum est. Si ponimus, dixerunt Stoici, esse quandam divinam vim, quae in mundo omnia regit atque gubernat, facile cogitari potest, qua ratione homines extis, ostentis aliisque ominibus scientiam quandam rerum futurarum sibi comparare possint. Nam et ad hostiam deligendam potest dux esse vis illa divina, quae est toto confusa mundo: et tum ipsam cum immolare velis, extorum fieri mutatio potest, ut aut absit aliquid aut

8) Divinat. II. 17.

9) Div. II. 49.

tupersit [1]). Et ut deorum animi sine sensuum usu, quid quisque sentiat, quid tacitus optet, inter se sentiunt: ita animi hominum, cum aut somno soluti vacant corpore aut mente permoti per se ipsi liberi invitati moventur, cernunt ea, quae permixti cum corpore animi videre non possunt [2]). Si autem dii volebant hominibus significare, quae sint futura, et signa, ex quibus ea concludantur, obscura sint et ancipitia, etiam, ne sine consilio agerent, curare debebant, ut homines haberent, quibus obscura detegerent, et hac de caussa homines quosdam singularibus facultatibus, somnia, oracula, vaticinia aliaque signa explanandi, instruxerunt [3]). His Stoicorum de divinatione rationibus Cicero, carneadeo usus argumento, ita respondit, ut primum, nullam esse divinationis materiam, doceret. Etenim si divinatio nec est earum rerum, quae sensibus subjectae sunt, nec earum, quae artibus continentur, nec earum, quae in philosophia disseruntur, nec earum, quae in republica versantur, tantummodo rerum fortuitarum esse potest. Permulta autem, quae sunt fortuita, artibus atque litteris sunt subjecta. Divinatio igitur earum rerum esse deberet, quae nec ratione, nec

1) Div. I. 52.
2) Div. I. 57.
3) Div. I. 51.

arte provideri possunt, quod in fortuna positae sunt. Quae igitur nihil rationis habent, quare futurae sint, earum nulla potest esse praesensio. Si res fortuitae nullam habent caussam, quare futurae sint, eas nullus homo, ne deus quidem praesentire potest; nam si eas praesciret deus, necessario fieri deberent; neque igitur amplius fortuitae essent. Sin autem omnia caussas certas habent; nullae sunt res fortuitae, adeoque nec divinatio. Si fatum continet omnia, nihil divinatio prodest, quum res fato constitutae haud immutari aut prudentia evitari possint. Neque vero utilis hominibus est futurarum rerum scientia. [4]). Denique in Stoicorum ratione, qua divinationem esse concludant, sumi ait ea, quorum iis nihil concedatur [5]). Deos esse, concludunt ex praedictionibus et oraculis: haec autem ex eo probant, quod, esse deos, sumunt. — Neque, deos esse erga humanum genus beneficos, ex divinatione probari potest. Nam si divinatio hominibus beneficium esse debeat, futura non tam obscure atque ambigue significanda erant. Neque esse caussam, si deus ista visa nobis providendi caussa dat, cur non vigilantibus potius det, quam dormientibus. — Alia argumenta, quibus singula divinationum genera excussit Cicero, et quare rejicienda

4) Divin. II. 5 - 9.
5) Div. II. 49. 50.

sint, demonstravit, nobis, brevitati consulturis, omittenda sunt. Haec igitur argumenta acutissima et gravissima aliaque, quae de hac re in Ciceronis scriptis passim dissita occurrunt, eum divinationem, tanquam anilem quandam superstitionem et rationi contrariam explodendam atque ex hominum mentibus ejiciendam esse, neque vero superstione tollenda religionem tolli statuisse, clarissime ostendunt [6]).

---

6) Cf. Divin. II. 72. Academ. II. 40. §. 126. — In Legg. II. 13. III. 12. 19. divinationem esse, Cicero diserte profitetur: quod tamen sententiae a nobis positae haud repugnare atque refragari videri debet. Etenim probe tenendum, Ciceronem in his libris, in quibus leges proposuit, civitatis statui, in libris de Rep. a se exposito consentaneas, saepius populariter locutum esse et in publicam utilitatem, patrias leges et instituta non ut superstitiosa repudiasse, sed, quantum fieri posset, cum philosophia conciliasse, atque adeo divinationem popularis religionis caussa retinendam duxisse. Cf. Scholt. l. c. p. 59. Cic. Div. II. 72. 33. de Rep. II. 9. — Rathius in praefat. ad Legg. p. XII., Ciceronem suam de hac disciplina postea mutavisse sententiam, quod quidem virum veritatis amantem, in eamque inquirentem assidue, haud dedeceat, statuit. (Libri enim de Legg. octo annis ante scripti sunt, quam illi de Divinatione. V. Rathii praefat. p. XI.) Similiter judicaverunt Wagnerus atque Goerenzius ad Cic. Legg. II. 13, 32. — Cui quidem sententiae haud a me impetrare possum ut calculum meum qualemcunque adjiciam.

Caput septimum.

XVI. De Fato.

Quaestionem de Fato, quam Cicero singulari libello latinis litteris illustrare suscepit, sequitur, ut paucis exponamus [7]). Sed sane quam maxime dolendum est, hunc librum ut multis sui partibus mutilatum, ita principio et fine carentem ad nostram aetatem pervenisse. E Plutarchi libello *περὶ εἱμαρμένης*, qui ipse haud dissimilem expertus est fortunam, pauca tamen ad nostrum suppleri possunt. Etiam Alexander Aphrodisiensis librum de Fato conscripsit: qui integer nobis est incorruptusque servatus [8]). Ceterum haec quaestio a multis antiquitus philosophis agitata est atque pertractata.

Ex manco, quod nobis superest Ciceronis libelli fragmento hoc certe apparet, Ciceronem maxime versatum esse in refutandis quibusdam captiosis Stoicorum argumentis, quibus ad confirmandum fatum utebantur. Stoici enim ponebant, fatalem esse necessitatem, quam *εἱμαρμένην* dicebant, i. e. ordinem seriemque caussarum, cum caussa caussae nexa rem ex se gignat, ut, quicquid accideret, id ex aeterna veritate caussarumque continuatione fluxisse dice-

---

7) Tennemann. *Gesch. der Phil.* T. V. p. 125.

8) V. Interp. ad Cic. de Fato init. Argument. in Edit. Turnebi et Ernesti.

rent [9]). Ex multis et hujus libelli et aliorum Ciceronis philosophicorum scriptorum locis hoc certissime cogi atque evinci potest, Ciceronem Stoicorum de fato decretum improbasse, atque omnia fortuita a rebus, quae in mundo accidunt, removisse et Stoicorum principium sufficientis rationis pro suo agnovisse. Quamquam deus omnia, quae futura sunt, tenet atque caussarum omnium colligationem perspectam habet atque cognitam, nihilominus tamen Cicero, si hanc quaestionem attigisset, divinum numen nullam hominibus inferre vim, nec, quominus pro arbitratu suo agerent, prohibere, dicere coactus erat. Enimvero actiones, quae ex hominum voluntate atque libertate proficiscuntur, non ex divini numinis praescientia tanquam caussa pendent, sed cujusvis actionis voluntariae ratio in eo posita est, ut res et qui cum ea conjunctus est status conditioque perpendatur [1]). In eodem libello Cicero etiam contentionem περὶ δυνατῶν, de eo quod fieri potest, attigit: quae quidem inter Diodorum et Chrysippum erat: quorum

9) Cf. Divin. II. 55. I. 45. ubi cf. Davis. N. D. I. 20. ubi v. Kreuzer. p. 92. Cf. Gell. N. A. VI. 2. Diog. L. VII. 149. V. Scholt. l. c. p. 60. — Academ. I, 7. ubi Cicero, providentiam, quod efficiat multa improvisa nec opinata nobis, propter obscuritatem ignorationemque caussarum nonnunquam fortunam nuncupari dicit.

1) Cf. Nahmmach. l. c. 92.

illi (Diodoro) placuit, nihil fieri quod non necesse fuerit, et quicquid fieri possit, id aut esse jam aut futurum esse, nec magis commutari ex veris in falsa ea posse, quae futura sunt, quam ea quae facta sunt; sed in factis immutabilitatem apparere: in futuris quibusdam, quia non apparent [2]), ne inesse quidem videri [3]). Chrysippus autem, multa fieri posse, statuit, quae non acciderent. Cicero, qui totum fatum negavit, quamquam in epistola quadam [4]) Varroni per jocum dicat, se *κατὰ Διόδωρον περὶ δυνατῶν κρίνειν*, neutram opinionem videtur probasse.

CAPUT OCTAVUM.

DE PSYCHOLOGIA.

XVII. DE ANIMORUM NATURA.

His expositis, age videamus, quid Cicero de animi natura et de ejus post mortem statu senserit. Quam magnifice Cicero de animo ejusque facultatibus senserit, innumerabiles in ejus scriptis de hoc argumento consignati loci testantur: e quibus quidem unum liceat apponere, qui mihi quidem omni lauda-

---

2) Bremi legit *appareat*.

3) de Fat. c. 9. ubi v. Turneb. in Ed. Rathii p. 348. Cf. Tennemann. *Gesch. d. Phil.* T. III. p. 155 sqq.

4) ad Divers. IX. 4.

tione sublimior censendus videtur [5]). "Qui se ipse norit, primum aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit, tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet: et, quum se ipse perspexerit totumque tentarit, intelliget, quemadmodum a natura subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam."

Jam dispiciamus, quid idem de animorum post mortem statu judicaverit [6]). Diversis antiquitatis philosophorum sententiis examinatis expositisque in primo Tusculanarum, posteaquam de hac gravi difficilique quaestione diligentissime meditatus fuerat, suam ipse profert sententiam [7]). "Animorum nulla in terris origo inveniri potest, nihil est enim in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum at-

5) Legg. I. 22. Qui quidem locus plane est e mente Platonis Alcib. I. p. 148. ed. H. Biesteri. Cf. Phaedon. p. 79. D. E. V. Morgenstern de Rep. Platonis p. 104 sq. Ceterum laudato Ciceronis loco addantur haec: Legg. I. 8. 9. I. 22. 23. Offic. I. 4. 36. de Senect. c. XXI. et quae alia excitata sunt in Memoires de l'Academie des inscriptions T. XLIII. p. 85.

6) Cf. Wyttenbachii disput. de veterum phil. usque ad Senecam sententia de vita et statu animorum post mortem corporis. Sect. X.

7) Tusc. Qu. I. 27. ex Consolatione. Cf. I. 25. 26. ubi v. Davis.

que fictum esse videatur; nihil ne aut humidum quidem aut flabile aut ignem. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat; quod et praeterita teneat, et futura provideat et complecti possit praesentia: quae sola divina sunt; nec invenietur unquam unde ad hominem venire possint, nisi a deo. Singularis igitur quaedam natura est atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Itaque quicquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, caeleste et divinum est, ob eamque rem aeternum sit necesse est." Multis in locis [8]) animum divinum esse statuit Cicero, sive veterum philosophorum imitatione ductus, qui animum humanum dei esse partem dicebant [9]), sive quod verbum *divinus* pro eo quod divino est simile, quod cum divinis virtutibus similitudinem quandam habet, adhibuisse videtur [1]). Ceterum in primo Tusculanarum, ubi argumentum de immortalitate animorum de industria atque dedita opera persequutus est,

---

8) Tusc. Qu. I. 25. Fin. II. 34. V. 12. 13. Legg. I. 8. Offic. III. 10.

9) Tusc. Qu. V. 13. ubi v. Davis. et ad. Divin. I. 49. ap. Rath. p. 125.

1) Cf. Somn. Scip. c. VIII. ibique Intpp. — Tusc. I. 27. animum a deo ingeneratum dixit; disjunxit igitur animum humanum ab ipso deo.

firmiter tenendum est, Ciceronem academico more disputasse. Etenim, quamquam animos post mortem permansuros esse, multis rationibus argumentisque demonstrare sategit; sententiam tamen suam ut fixam, constitutam firmamque non sine ulla dubitatione posuit, sed eam ad probabilitatem ac verisimilitudinem maxime esse propensam statuit. Mortem enim non esse malum, probare voluit. Usus igitur est disjuncta argumentatione seu dilemmate, ut, nihil mali esse in morte, sive per eam omnis animi sensus extinguatur, sive remaneat animi sensus, demonstraret: quodsi enim illud sit, nihil mali nobis esse, quum ipsi jam nihil simus: quod si vero remaneat sensus, hunc animi statum non posse infelicem esse. — Stoici, inquit, non sibi constant, dum concedunt, animum post corporis mortem permanere, sed tamen aliquando interire. Nam haec una est difficultas, quomodo animi sine corporibus degere ac vivere possint; sed hoc semel concesso, nulla caussa est, quare aliquando intereant [2]). Ceterum illud firmiter manet, mortem non esse malum. Nam si per eam animus extinguitur, status ille omnino nihil erit: ergo nec bonus nec malus: si vero animus sensum ac vitam retinet, felix potius quam infelix erit ille status. Sed utrum ex

2) Tusc. Qu. I. 30-33.

duobus futurum sit, simus parati: cumque mors nobis sit constituta, non eam in malis ducamus; quippe constitutum vel a diis immortalibus, vel a natura parente omnium [3]). Praestantissima in primo Tusculanarum, in Catone, Laelio et Somnio Scipionis loca [4]), in quibus Cicero praeclare ac divine de hoc argumento disserit, ejus de animorum post mortem perpetuitate sententiam in clarissima luce collocant.

XVIII.

Jam vero, postquam vidimus, Ciceroni de animorum immortalitate fuisse persuasum, quibus rationibus hanc sententiam probatum iverit, videamus necesse est.

Ac primum quidem natura ipsa tacita judicat, animos non esse interituros. Omnis enim antiquitas, quae quo propius aberat ab ortu et divina pro-

---

3) c. 33-49.

4) Nihil officit nomen *Somnii;* nam ipsa disputatio gravis ac seria est, et ejus partes consentiunt cum reliquis Ciceronis placitis, quae supra exposuimus. Et Cicero sequutus est exemplum Platonis, qui X de Rep. librum simili finivit somnio, in quo sub fabulae involucro plurimae verae rationes sententiaeque proditae sunt. Quae igitur in hoc somnio Cicero protulit, serio et ex animi sententia pronunciavit. Wyttenb. l. c. p. 84. Cf. Somn. Scip. c. II. III. IV. VI. VII. V. — Tusc. I. 23-25. 27. 29. Senect. 21. 23. de Amicit. c. III. IV. Adde Orat. pro Marcello c. IX. §. 31.

genie, hoc melius ac fortasse quae erant vera cernebat, cum hac sententia conspirat. Itaque unum illud erat insitum priscis, esse in morte sensum, neque excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret [5]). Quod probat religio erga sepulcra, memoria atque cura, qua defuncti colebantur, atque viri clari ab hominibus divino honore donati [6]). Atque uti haec sententia nationum omnium consensu confirmatur, ita eadem fuit antiquorum philosophorum eorumque maximorum longeque clarissimorum [7]). Inhaeret enim in mentibus quasi saeculorum quoddam augurium futurorum: idque in maximis ingeniis altissimisque animis et existit maxime et apparet facillime. — Divinae porro res, quae animo insunt, quae nec a corpore oriri, nec in terra natae esse possunt, animorum immortalitatem satis superque probant [8]). "Sic enim habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc: nec enim tu es, quem forma ista declarat, sed mens cujusque is est quisque; non ea figura, quae digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse [9]); si quidem deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui pro-

---

5) Tusc. Qu. I. 12.
6) Tusc. Qu. I. 14. Cf. Amicit. c. IV.
7) Tusc. Qu. 15. — Senect. c. 21. Amicit. c. IV.
8) Tusc. Qu. I. 24 - 27.
9) Cf. Tusc. Qu. I. 23. 25.

videt, qui tam regit et moderatur et movet id corpus, cui praepositus est, quam hunc mundum ille princeps deus; et ut mundum ex quadam parte mortalem ipse deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus movet [1]). Animi quasi vas et receptaculum corpus est. Mentis divina vis ex memoria rerum et inventione omnique pulchritudine virtutis cognoscenda est." — Porro ex simplici et ab omni concretione mortali segregata animi natura, animum post mortem permansurum esse, patere putat [2]). Quare eorum, qui animum sine corpore intelligere se posse negarent, sententiam improbat. *Mihi quidem*, inquit Cicero, naturam animi intuenti, multo difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior, qualis animus in corpore sit, tanquam alienae domi, quam qualis, cum exierit et in liberum caelum, quasi domum suam, venerit [3]). Porro Socratis et Platonis argumentum, quo ex eo, quod animus se ipsum moveat, neque a se unquam deseratur, ejus aeternitatem demonstrare voluerunt, probat [4]). Animum autem post discessum ex corpore sursum ferri, et pervenire in subtilioris aeris regiones ibique felicitate

1) Somn. Scip. in Rep. VI. 24. Maj.
2) V. quae supra diximus.
3) Tusc. Qu. I. 22.
4) Tusc. Qu. I. 23.

frui, statuit Cicero: quae felicitas duabus fere continetur partibus, altera quiete ac vacuitate cupiditatum et perturbationum, altera contemplatione rerum caelestium, quae quasi pabulum animorum est [5]). — Socratis sententia probabilis haberi debet: eos, qui hac in vita pie casteque degissent, ad deos redire, eorumque consuetudine beatos fore: qui vero vitiis flagitiisque se inquinavissent, his devium esse iter seclusum a concilio deorum. — Quae a nobis allata sunt, quamquam, Ciceronem sententiam de animi immortalitate firmissime tenuisse, luculenter videntur commonstrare: negari tamen non potest, complura in Ciceronis scriptis extare loca, in quibus de hoc argumento dubitanter loquutus videatur. Hinc factum, ut existerent, qui praeclaras illas de animorum post corporis dissolutionem perpetuitate sententias a Cicerone litteris mandatas non tam integra ipsius sensa exhibere, quam lusum quendam ingenii et eloquentiae flores [6]). Verum loca, in quibus de animorum immortalitate addubitare videtur Cicero, si accurate examinantur interque se comparantur, nihil prorsus ex iis contra hanc Ciceronis sententiam concludi atque effiici posse, facillime intelligitur. Ratio enim atque

5) Tusc. Qu. I. c. 17-20. Wyttenb. p. 81.

6) Cf. Middleton Life of Cicero T. II. sect. 12. p. 351.

consilium, quod in his locis sequutus est, diligentissime est animadvertendum: de qua quidem re supra fusius uberiusque exposuimus [7]).

---

7) V. c. ad Divers. V, 16. — V. ep. ultima VI. 21. 3. (4): in quibus epistolis Ciceronis consilium erat amicos infelices consolandi: hinc nota illa disjuncta conclusione utitur, ut ostenderet, mortem non in malis esse ducendam, sive animus noster post mortem interiturus sit, sive permansurus. Et quum eorum ad quos has epistolas scripsit animum ingeniumque cognitum haberet, eas consolandi rationes adhibuit, quae maxime iis consentaneae viderentur. Et vero etiam tenendum est, amicos illos, eruditos quidem bonosque cives romanos fuisse, sed epicureae deditos disciplinae, inprimis Torquatum. Cf. Fin. I. 5. V. Memoires de l'Academie des inscriptions l. c. p. 96. Ex illorum ipsa schola ducta argumenta profert, quae ex Epicuri decretis ad illos consolandos vim exserere debebant efficacissimam. Quum vero dicit, mortem esse omnium rerum extremam, nostrorumque malorum finem, de morte quae dicitur physica, quae sane malorum potius cessatio, quam malum aliquod ipsum ducenda est, loqui videri potest. Mors enim saepissime omnium hujus terrae rerum finis esse, neque sensum aliquem eorum, quae in terra fiunt, relinquere dicitur. Quod in Orat. pro Cluentio dictum est, neutiquam infringit sententiam nostram. V. supra. Scholt. l. c. p. 67. Bayl. Dict. Hist. crit. s. v. César. not. H. Cic. de Orat. II. 7. Plut. Vita Cicer. p. 132. — In altera primi Tusculanarum parte animum mortalem ponit, atque eorum qui hanc amplexati sunt opinionem omnia enumerat argumenta; quod partim eo consilio factum videri potest, ut horum argumentorum infirmitate atque imbecillitate illa argumenta in prima ejusdem libri parte ad probandam animorum immortalitatem enotata multo clarius exsplendescerent, ac multo majorem vim

pondusque adipiscerentur (Cf. Tusc. Qu. I. 49.), partim vero etiam, ut vel iis, qui morte omnem sensum extingui et deleri opinarentur, consolandi rationes afferret, iisque, etiamsi de animorum immortalitate ipsis persuaderi non posset, illud tamen, quod propositum erat libri, demonstraret, mortem non esse in malis ducendam. Similiter passim in libris de Senectute et de Amicitia hoc dilemmate usus est, eo quidem ut videtur consilio, ut saltem praeceptorum a se datorum utilitas agnosceretur, et exercendarum virtutum commodum ac praestantia intelligeretur, etiam si forte fieri posset, ut animus cum corpore interiturus esset. — Nec hoc videtur omittendum, Ciceronem nunquam hanc opinionem probasse, sed semper rationibus eam convellere studuisse, multaque, unde animum esse immortalem pateret, protulisse argumenta, nullum vero, quod animum esse mortalem probaret.

Pars quinta

DE CICERONIS PHILOSOPHIA MORALI.

I.

PROOEMIUM.

Pergamus denique ad tertiam philosophiae partem, ad doctrinam moralem, et, quomodo Cicero de ea meritus sit, paucis exponamus. Hic ciceronianae philosophiae locus unus est omnium longe praestantissimus atque pulcherrimus censendus: partim, quod in exponenda hac doctrina sanissimum quo illius ingenium insigniter ornatum erat judicium praeclare enitescit: partim vero etiam, quod philosophus noster, quaecunque eximia adhuc a graecis philosophis de morali doctrina erant disputata, perscrutatus, iisque eleganter prudenterque usus, praeclarissimas in scriptis suis moralibus consignavit sententias, et complures hujus doctrinae notiones principales, excussis interque se comparatis contrariis graecorum philosophorum decretis, clariore luce illuminavit. Profecto, si Ciceronis praestantissima moralis philosophiae monumenta spectamus, in quibus optima quaeque ex hac

doctrina elegit atque pertractavit, iisque Romanorum animos imbuere atque informare studuit, et praecepta sua populariter quidem et ad communem intelligentiam accommodate, sed magnifico quodam orationis genere tradidit, adhibito eleganter romani sermonis splendore ac majestate, adjunctaque eximiorum historiae exemplorum copia, et, si nobiscum reputamus, quam assidue haec moralia romani philosophi scripta ob eas ipsas praestantes virtutes posteris etiam temporibus lectita sint atque pervoluta; quis est, qui dubitet, Ciceronem non solum romanae gentis, verum etiam multorum aliorum qui multis saeculis ab illo distabant populorum moralis sapientiae doctorem extitisse atque magistrum [1])?

II.

Romani, uti supra vidimus, stoicam inprimis et epicuream philosophiam sectati sunt; nam in Romanorum ingenio duae erant leges, eaeque extremae et sibi oppositae, aut severitas aut luxus. Platonis moralis doctrina, quae in summa *ἁρμονίᾳ* consistebat, a Romanorum ingenio atque indole remotior erat, quam ut ab iis percipi posset. Stoica autem disciplina, omnes externas res negligens atque spernens, splen-

1) Cf. Staeudlini, V. S., *Gesch. der Moralphilosophie.* p. 390.

dore atque magnificentia, qua instructa atque ornata erat, excelsioris ingenii Romanos mirifice capiebat. Epicurea vero moralis philosophia iis potissimum placebat, qui vel delicatioris vitae genus agebant, vel ab omni civitatis administratione remoti sibi vivebant [2]). Cicero in moralibus principum Academicorum, Arcesilae et Carneadis, more [3]) probabilitati maximum locum concessit. Multa enim sunt probabilia: quae quamquam non perciperentur, tamen, quia visum haberent quendam insignem et illustrem, his sapientis vitam regi posse judicavit [4]). Stoicam potissimum disciplinam, non severam illam quidem atque tetricam difficilemque, qualis a veteribus Stoicis instituta erat; sed illam a Panaetio humanitatis et litterarum condimentis, platonicisque et aristotelicis [5]),

---

2) Vide quae supra in prima disputationis parte monuimus.

3) Arcesilas in vita agenda sequutus est τὸ εὔλογον: de quo subtiliter egit Dor. Gerlach. in comment. laud. p. 10 sq., et Carneades τὸ πιθανόν. Ceterum quomodo Cicero, academicam rationem sequutus, de morali doctrina praecepta tradere potuerit, ipse elegantissime exposuit loco in Off. II. 2., jam supra laudato.

4) N. D. I. 5. ex.

5) Offic. I. 1. ubi attendenda vis vocabuli "utrique" i. e. et ego Academicus et Cratippus Peripateticus: uti recte cepit Wyttenb. Bibl. crit. Vol. II. p. 4. p. 67. Lyndenus de Panaetio p. 88. Adde Beierum ad l. c. p. 5.

decretis temperatam ac mitigatam sequutus est. Namque in morali doctrina nulla firma et conjuncta naturae praecepta tradi posse, statuit Cicero, nisi aut ab iis, qui solam, aut ab iis, qui maxime honestatem propter se dicerent expetendam, i. e. aut a Stoicis aut ab Academicis et Peripateticis: quas tres disciplinas in morali doctrina re consentire, nominibus discrepare judicavit. Ceterarum omnium disciplinarum de doctrina morali sententias sprevit plane atque repudiavit [6]) Epicuream in primis philosophiam, quotiescunque potuit, traduxit Cicero atque persequutus est, non partium quodam studio compulsus, sed quod eam cum vera honestate et virtute nullo pacto consociari posse intellexit [7]), et, ne Romanorum mores hac philosophia corrumperentur, veritus est. — Inter Stoicos, qui mortalem quasi quendam deum efformare voluerunt sapientem, qualis in re et natura esse nemo possit, et inter Epicureos, qui Ciceroni omnem virtutem tollere videbantur, quasi in medio collocat Academicos et Peripateticos [8]): quorum quidem ratio ei in

---

6) Fin. II. 12, 38. V. 7. 8. 20. Tusc. Qu. V. 30 sq. Off. I. 2, 6. ubi cf. Beier. p. 13. III. 4, 20.

7) Tennemann. *Gesch. der Phil.* T. V. p. 126. Cf. Offic. I. c. 2.

8) V. Lilium Comment. prim. de Stoicorum phil. mor. ad Ciceronis libros de Officiis. Altonae. 1800. p. 27. et p. 25.

doctrina de finibus bonorum et malorum prae ceteris placuit [9]). In libris de Officiis rediit ad Stoicos eosque propterea sequutus est, quod, quamquam et a veteribus Academicis et Peripateticis, quae honesta sunt, anteponerentur iis, quae utilia viderentur, tamen haec ab iis splendidius dissererentur, quibus et quicquid honestum est, idem utile videretur, nec utile quicquam, quod non honestum, quam ab iis, quibus aut honestum aliquid non utile, aut utile non honestum [1]).

III.

Cicero in exponenda morali doctrina, uti diximus, maximam partem Stoicos sequutus est, et, quamquam

9) Quod extra omnem controversiam positum est. Cf. Ernest. Argum. ad Fin. V. et Thorbeck. in diss. laud. p. 31.

1) Bardilius in Hauffs *Philologie* II. p. 16. Ciceronem his libris propterea Stoicos sequutum esse arbitratur, quod ipse sensisse videatur, quam inconstanter virtus diceretur summum bonum, neque tamen solum, ad quod omnia, quae homini in vita expetenda essent, referrentur. V. Beierum ad Offic. III. 4. Alias caussas eruit Lyndenus p. 88 sqq.: quarum haec potissimum mihi probatur, quod Stoici, inprimis Panaetius, operae pretium in explicando loco de officiis fecisse, eumque novis copiis locupletasse, novaque luce illustrasse viderentur. — Idem Lyndenus l. c. acute inquisivit, cur Cicero Panaetii libros reliquis reliquorum de eodem argumento libris universe praetulerit, et Marco filio ad cognoscendum utilissimos judicaverit.

non disciplinam quandam hujus philosophiae loci condidit, in omnibus tamen ejus partibus elaboravit. Veteres moralem philosophiam in tres partes distribuerunt, in doctrinam de bonis (de summo bono), de virtutibus et de officiis. Priores philosophi locum de officiis non peculiariter tractaverant; sed magis ostenderant [2]). Stoici primi sunt, qui hanc quaestionem, antea per totam moralem philosophiam diffusam, de industria et quasi dedita opera persecuti sunt [3]). Fundamentum totius moralis philosophiae veteribus erat locus de summo bono. Bonum e veterum mente est id, quod virtutis (morali hominis) vi gignitur: summumque bonum est conjunctio omnium bonorum, quae virtute gignuntur. Virtus autem est vis animi, eaque constans atque perpetua, qua bonum gignitur. Quid hoc bonum sit, diverse a diversis philosophis definitur. Officium denique est formula atque lex, ad quam virtus sese componens bonum gignit. Ceterum duplex erat philosophiam moralem tractandi ratio: utraque tamen eandem habebat materiam. Altera ratio erat δογματικὴ s. θεωρητικὴ, fundamentum totius moralis philosophiae, quae in scrutanda natura

2) Vide Dissenium, praeceptorem pie colendum, de phil. morali in Xenophont. M. S. tradita p. 7.

3) V. Lyndenum de Panaetio Rhodio p. 89 sq.

morum et origine, aperiendisque omnibus justi, boni, aequi fontibus versatur [4]). Huc pertinent Ciceronis libri de Finibus Bonorum et Malorum. Altera ratio erat παραινετική, eaque popularis et ad communem intelligentiam accommodata, quam Cicero in libris de Officiis et in Tusculanis Quaestionibus aliisque libris sequutus est. Haec praecepta dat, quibus mores corrigantur et ordinentur, et in omnes partes usus vitae conformari possit.

IV.

Jam vero, quum ad recte intelligenda riteque dijudicanda Ciceronis moralia scripta accuratior et interior Stoicorum philosophiae moralis cognitio quam maxime necessaria sit, optimum nobis visum est, primum hujus scholae moralem doctrinam paucis et quantum fieri potest ex ipsius Ciceronis scriptis adumbrare: tum vero nonnullas sententias, quae in hac philosophiae parte ab auctore nostro aut proprio quod dicitur Marte pertractatae, aut ulterius expositae clarioreque luce collustratae, aut proprietate quadam ac praestantia conspicuae sunt, afferre atque explanare.

---

4) Cf. Lilie commentat. laud. I. p. 48. Bardili in Hauffs *Philolog.* II. p. 3. Beier. ad Cic. Off. I. 3. p. 17.

V. DE PRIMA NATURAE CONSTITUTIONE.

Stoici tria humanae naturae tribuerunt, animal, rationem atque societatis appetitum. Itaque, quae vera esset hominis natura, ostensuri, primum animalem humanae naturae partem considerabant, intelligebantque, omne animal, simulatque natum sit, ipsum sibi conciliari et commendari ad se conservandum. Ea igitur, quae naturae apta sentit, appetit, et propulsat contraria. Hoc est secundum naturam vivere [5]). Homo autem e corpore animoque constat: primae sunt animi partes, secundae corporis [6]). Opera igitur nobis danda est maxima, ut mens atque ratio, qua nihil est in homine divinius, perficiatur [7]); appetitus vero nostri conservandi, unde Stoicorum ethices principium ductum est, ratione excolatur atque regatur. Animalis enim humanae naturae pars semper cupiditates quasdam excitat: ratio igitur in appetendis rebus selectionem quandam (αἵρεσιν) adhibere debet, quae nos eas res sumere jubet, quae humanae rationi congruae et consentientes sunt [8]). Ad animalem atque rationalem humanae naturae partem accedit

5) Cic. Fin. V. 9. De hac prima naturae constitutione copiose disputavit Beierus in Exc. VII. ad libr. I. de Off. 4, 11. p. 323.

6) Cf. Fin. V. 13.

7) Fin. V. 14.

8) Fin. III. 6.

denique societatis appetitus: quae quidem vis uti etiam in bestiis inspici potest, ita in hominibus rationi congrua atque consentanea est [9]).

VI.
DOCTRINA DE BONIS.

Summum bonum Cicero [1]) e Stoicorum mente ita definit: Consentire naturae; quod esse volunt e virtute, h. e. honeste vivere; quod ita interpretabantur: vivere cum intelligentia earum rerum, quae natura eveniunt, eligentem ea, quae essent secundum naturam rejicientemque contraria. Atque haec quidem est Stoicorum *ὁμολογία* vel *συμφωνία*, convenientia, conservatioque naturae [2]), vel vita consentiens virtutibusque respondens, recta et honesta et constans et naturae congruens [3]). Honestum igitur consistit in perpetua quadam convenientia atque conspiratione humanae actionis; haec enim est lex, ad quam deus agit, quamque homo ex naturae contemplatione discit [4]). Honestum definiebant id, quod tale est, ut, detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructi-

---

9) Fin. III. 19 sq.
1) Fin. II. 11.
2) Offic. I, 28.
3) Fin. III. 6. 14. V. 23. Cf. Beierum in Exc. III. ad Off. III. 3, 13. p. 426 sqq.
4) V. Tennemann. *Gesch. der Phil.* T. IV. p. 70.

busque per se ipsum possit jure laudari [5]). Externis commodis ad beate vivendum nullo pacto opus esse docebant [6]). Bonum enim est id, quod homo in se habet atque in sua potestate. In bonis ducebant quatuor quae vocantur virtutes cardinales: porro animi facultates, virtute excultas: deinde triplicem animi affectionem, quam habebat sapiens, voluntatem (βούλησιν), gaudium (χαράν) et cautionem (εὐλάβειαν): denique amicitiam cum suis speciebus, rem domesticam et societatem civilem: postremum artes atque litteras. Horum bonorum conjunctio est summum bonum, finis bonorum [7]). Quicquid honesto contrarium est, malum est [8]).

VII.

DOCTRINA DE VIRTUTE.

Stoici, uti omnino veteres philosophi, plures virtutis partes primarias constituerunt ad accuratiorem ejus imaginem exhibendam [9]): quas quidem partes

---

5) Fin. II. 14.

6) Fin. III. 11. Academ. I. 10. cf. Fin. III. 6. — Aliter veteres Academici atque Peripatetici. V. Fin. V. 24. IV. 10-12. III. 13.

7) εὔροια βίου. Stob. ecl. eth. II. p. 138.: haec est felicitas, quae ex singulis bonis enascitur.

8) Fin. III. 4. 16.

9) V. Dissenii, doctoris praestantissimi, commentatio saepius jam laudata. p. 15. De quatuor virtutum formis fuse

diversi philosophi diverso definierunt modo. Stoici cum virtutum definitionibus simul cognitionis vel scientiae notionem conjungunt [1]). Virtutum conjunctionem consensionemque atque confusionem esse dicebant, eam tamen ratione quadam distingui. Nam quum ita copulatae connexaeque sint, ut omnes omnium participes sint, nec alia ab alia possit separari: tamen proprium suum cujusque est munus [2]). Una igitur virtus est, quae in rationis perfectione consistit; sed haec ratio diverso modo vim suam exserit [3]). Tum demum actio honesta est, quum in ea una cum principali virtute omnes ceterae conjunctim exsplendescunt. Porro Stoici dixerunt, virtutem non crescere productione temporis. Uti peccata non in posteris et consequentibus (ἐπιγεννηματικοῖς); sed in primis continuo peccata sunt: sic ea, quae proficiscuntur a virtute, susceptione prima, non perfectione, recta sunt judicanda [4]). Sed et virtutes et vitia fundi quodam-

---

eleganterque disputavit Beierus in Exc. X. ad Off. I. 5, 15. p. 330 sqq.

1) Sext. Emp. adv. Eth. §. 170. οἱ δὲ Στωικοὶ φάσι, τὴν φρόνησιν ἐπιστήμην οὖσαν ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων, τέχνην ὑπάρχειν περὶ τὸν βίον.

2) Fin. V. 23. Plura de virtutum conspiratione consensuque v. in Tusc. Qu. IV. 11. III. 8. de Orat II. 85. v. Beier. ad Cic. Off. I. c. 5. p. 36.

3) Cf. Academ. I. 10.

4) Fin. III. 9. 10. 14. 7. 8. 11. Academ. I. 10.

modo et dilatari putabant: alia enim virtus integras provincias complectitur, alia paupertatis tanquam termino circumscribitur, ut se eodem modo diffundere non possit [5]. — Ceterum omnes virtutes dividuntur in contemplativas atque activas [6]. Quatuor virtutes cardinales sunt hae: prudentia, *φρόνησις*, fortitudo, *ἀνδρεία*, justitia, *δικαιοσύνη*, moderatio, *σωφροσύνη*: quas quidem rursus subdividebant [7]. His virtutibus exercendis aliae enascuntur, quas nos quidem bona dicimus, veteres autem exercitatione ortas esse contendebant: mentis sanitas (*ἀρτιότης*), mentis vigor (animi robur, *ἰσχύς*), et animi pulchritudo (*κάλλος*) [8].

VIII.

DE ANIMI PERTURBATIONIBUS.

Omnis virtus nititur vera cognitione rectoque judicio boni malique [9]. Perturbatio (*πάθος*) contra

---

5) Fin. III. 14.

6) Cicero Partit. or. c. 22. vis virtutis duplex. Aut enim scientia cernitur virtus aut actione. V. Beier. ad Off. I. c. 5. p. 39.

7) Stob. ecl. eth. II. 102. 104. 108. cardinalium virtutum definitiones exhibuit. — Quam male in virtutum definitione atque divisione versati sint Stoici, luculenter ostensum ivit Dissenius, vir summus, in Comment. laudata p. 21 sq.

8) Stob. l. c. 110.

9) Cf. Staeudlin, S. V., *Moralgesch.* p. 328.

est aversa a recta ratione, contra naturam (παρὰ φύσιν) animi commotio, ex opinato bono aut malo nata [1]), qua hominis voluntas regitur. In quatuor partes primarias dividebant perturbationes: duae ex duobus opinatis bonis, duae ex duobus opinatis malis nascuntur: quibus quidem partibus multas subjecerunt species. Descriptio perturbationum hoc modo exhiberi potest.

Perturbatio, πάθος, existit vel

ex opinione boni

ex opinione boni praesentis, Laetitia, ἡδονή.	ex opinione boni futuri, Libido, ἐπιθυμία

vel ex opinione mali

ex opinione mali praesentis, Aegritudo, λύπη.	ex opinione mali futuri, Metus, φόβος.

Hae animi permotiones si diutius permanent, fiunt morbi (νοσήματα); quorum summus gradus est ἀῤῥώστημα. Quibus omnibus sapiens semper vacat [2]): qui contra εὐπαθείαις afficitur; quas tres statuebant: primum χαράν, gaudium, cui opponitur laetitia; tum βούλησιν, voluntatem, cui opponitur libido; denique εὐλάβειαν, cui opponitur φόβος [3]).

1) Tusc. Qu. IV. 6.
2) Fin. III. 10.
3) Omnia haec, quae paucis perstrinxi, uberius exponuntur a Cicerone in Tusc. Qu. libri IV initio: quocum conferendus Laert. VII. 110-116.

IX.

DE REBUS INDIFFERENTIBUS.

Inter bona et mala posuerunt Stoici ἀδιάφορα, quae nihil ad virtutem et ad vitia intersunt [4]), atque adeo media dicuntur: neque ad beate neque ad misere vivendum quicquam valent [5]). Sunt tamen commoda atque incommoda vitae: quae sapienti appetere quidem licet, ita tamen, ut virtus integra maneat. Ἀδιάφορα sunt v. c. vita, mors, bona valetudo, morbus, pulchritudo, deformitas, divitiae, paupertas et sic porro. Haec ἀδιάφορα dividuntur in προηγμένα, (praecipua, praeposita, producta) i. e. ea, quae secundum naturam sunt, quae sumenda et quadam aestimatione dignanda sunt, et in ἀποπροηγμένα (remota, rejecta, rejectanea), quae naturae sunt contraria, atque nulla aestimatione dignanda [6]). Horum προηγμένων alia sunt per se praeposita: alia quod aliquid efficiunt, ut pecunia: alia quod utrumque, ut integri sensus [7]). — Similiter dividebant ἀποπροηγμένα [8]). Denique iis ipsis, quae praeposita sunt et

4) Fin. IV. 25.

5) Fin. III. 15.

6) Fin. III. 15. Academ. I. 10. De ἀδιαφόροις cf. Beier. in Exc. VI. ad Off. I. 3. 10. p. 326 sqq.

7) Fin. III. 17.

8) Fin. III. 15. — Plura de hac divisione ἀδιαφόρων suppedidat Diog. L. VII. 101-107. aliique, quos laudavit Staeudlin. *Moralgesch.* p. 311.

rejecta, alia interjecta sunt, in quibus ponebant nihil omnino esse momenti. — Quam vehementer lapsi sint Stoici in ponendis ἀδιαφόροις, sane quam acute demonstravit Cicero in quarto libro de Finibus [9]).

X.

DE OFFICIIS.

Pervenimus denique ad tertiam philosophiae moralis partem, quae est de officiis. Officium (καθῆκον) definitur apud Stobaeum [1]): *τὸ ἀκόλουθον ἐν ζωῇ, ὃ πραχθὲν εὔλογον ἀπολογίαν ἔχει.* Sed duplex posuerunt officium, perfectum atque medium. *Καθῆκον* igitur duas habet significationes: primum indicat omnino officium; deinde opponitur sensu strictiori perfecto officio (*κατορθώματι*) *καθήκοντι τελείῳ* [2]), atque intelligendum est medium officium (*μέσον*). Officia media seu communia sapientis atque insipientis sunt. *Κατορθώματα* (recta aut recte facta) omnes virtutis numeros continent [3]), et plena virtutis vi perficiuntur. *Καθήκοντα* differunt ab iis, si honesti vim, qua peraguntur, spectas. Sapiens suas actiones cum celeritate quadam et sine labore perficit: insi-

9) V. supra.
1) Ecl. eth. II. p. 158.
2) V. Beier. in Exc. IV. ad Off. I. III, 8. p. 318.
3) Fin. III. 7.

piens vero cum contentione atque labore [4]). Haec autem sunt καθήκοντα. Stoici doctrinam de officiis secundum quatuor virtutes cardinales divisisse videntur: quam quidem divisionem etiam Cicero sequutus est. Stoici autem dixerunt, in quaque actione, officiis congrua, omnes virtutes consociatas copulatasque esse debere; nam etsi actio unam honesti partem exhiberet, rationem tamen ceterarum quoque virtutum esse habendam.

Caput alterum.

DE CICERONIS LIBRIS DE OFFICIIS.

XI.

His de officiorum doctrina praemissis, videamus, quomodo Cicero eandem doctrinam in libris de Officiis pertractaverit. Cicero omnem de officiis duplicem esse dicit quaestionem: unum genus esse, quod pertineat ad finem bonorum, a quo ducantur officia perfecta, quae ad sapientiam referantur: alterum positum esse in praeceptis, quae ad institutionem communis vitae pertineant: a quo ducantur officia communia. Haec media officia exponit Cicero in libris suis cognominibus, in quibus non perfectus homo planeque sapiens proponi debet, sed vir omnino bonus, qui media seu

4) Ciceronem hoc discrimen haud satis recte intellexisse, supra in II. P. §. XXXVII. ostendimus.

communia illa officia servat. Apprime in conscribendis his libris hoc consilium animo comprehensum habuisse videtur, ut virum civilem effingeret atque efformaret, qui cum dignitate civitati regundae atque administrandae praeesse posset. Cujus quidem rei caussae facile perspici possunt. Primum enim Ciceroni romanae reipublicae conditio, Romanorumque ingenium atque vita spectanda erat: tum vero et ipse noster philosophus superioribus temporibus amplissima civitatis munera gesserat, et hos de officiis libros in filii, reipublicae administrationem adituri, gratiam composuerat [5]). De officio in universum, de ejus notione, distributione paucissimis Cicero exposuit. Miratur, Panaetium non definisse [6]), quid esset officium, quum omnis quae ratione suscipitur de aliqua re institutio debeat a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur. Haec verba mirifice torserunt atque vexaverunt viros doctos [7]). Nam ipse Cicero non definisse videtur, quid esset officium, sed tantum, quomodo officiumdi videretur, exposuisse. Beierus, doctis-

5) Cf. Lilii commentat. I. laud. p. 18.

6) Hanc Panaetii reprehensionem diluere conatus est Lynden. de Panaetio p. 94. et 102 sq.: haud satis recte, opinor.

7) V. Binkes in diss. laudata p. 11.: cujus de hoc nostro loco sententia cum Lyndenii sententia conspirat.

simus horum librorum interpres [8]), si accurate Ciceronis verba dispicerentur, definiri hoc loco officium medium [9]), judicavit. "Medium scilicet officium id esse, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit." Hanc autem esse illam ipsam rem, de qua ab auctore, qui his libris honestatis virtutisque praecepta ad usum communis vitae in republica transferat, suscipiatur disputatio. Itaque consulto Ciceronem removere [1]) officii universi explanationem, utpote ab hoc loco alienam, atque ad medii officii definitionem ut accedat, satis habere distinxisse, officium dupliciter dici. Quae quidem sententia bene sese videtur habere. Cicero officia in tres partes divisit, secundum triplicem consilii capiendi deliberationem, quae, ut ratio probabilis reddi possit, cur officium factum sit, antecedat necesse est. Cadit enim vel in rationem honesti (liber primus, ubi de eo, quod honestum est, disputatur et, duobus propositis honestis, utrum honestius): vel in rationem utilitatis (liber secundus de eo, quod utile est, et, duobus propositis utilibus, utrum utilius): tertium denique dubitandi genus est, quum pugnare videtur cum honesto id, quod videtur esse utile (liber tertius). Ita quinque existunt partes:

8) in Excursu I. ad Off. I. 2, 7. p. 314 sq.
9) Cf. Fin. III. 17.
1) Sunt verba Beieri l. c.

prima de honesto, altera de eo, utrum e duobus propositis honestis praeferendum sit, tertia de utili, quarta de eo, utrum e duobus propositis utilibus praeferendum sit, quinta denique de pugna utilis cum honesto.

XII.

Jam vero Cicero doctrinam de officiis secundum quatuor virtutes cardinales divisit: quae divisio Stoicis usitata fuisse videtur. Sunt igitur officia prudentiae, justitiae, moderationis et fortitudinis. Alia quoque divisio erat secundum tres humanae naturae partes, quas supra nominavimus, ita quidem, ut omnis actio, officiis congrua, consisteret in subjicienda et regunda naturae appetitione, et in excolenda ratione atque societate. In hac divisione honesta actio ex una virtute fluxisse videtur: quae divisio et melior censenda est et magis Stoicorum morali doctrinae consentanea. Altera divisio si ponitur, singula virtus a ceteris separatur.

Prudentia in veri cognitione posita est [2]). Hanc virtutem paucis complexus est Cicero, sive quod hic locus a Panaetio, qui populariter hos de officio libros confecit, breviter erat expositus, sive quod subtilior

---

2) Offic. I. 6.

ille erat, quam pro Romanorum quibus haec scripsit ingenio atque indole. In eo autem lapsus est Cicero, quod hanc virtutem in genus naturale et honestum (i. e. in moralem et physicam cognitionem) divisit. In morali enim doctrina a morali cognitione omnia proficisci debent, non ab alia intelligentia. Itaque tantum φρόνησιν, moralem intelligentiam, primo loco ponere potuit; sed artes non veluti virtutes poni potuerunt, sed veluti facultates, quas moralis intelligentia excolere debet. Sed vero est simile, hunc errorem non primum a Cicerone esse commissum, sed jam a Panaetio. — Tum reliquae virtutes quae dicuntur cardinales sequuntur: justitia, cui etiam beneficentia, aequitas, gratus animus et officia, quibus vitae societas continetur [3]), subjiciuntur: magnitudo animi seu fortitudo, quae ex appetitione principatus existit [4]): temperantia et modestia, ad quam etiam id refertur, quod latine dicitur decorum (πρέπον), quod quum in aliis virtutibus, tum inprimis in temperantia apparet [5]). Decorum duplici ratione divisit: primum generale quoddam decorum est, quod in omni honestate versatur. Hoc decorum id est, quod consenta-

3) Offic. I. 7 - 18.

4) Offic. I. 19 - 26.

5) Offic. I. 27 - 42. — Cf. Beier. ad c. 27. p. 209.

neum est hominis excellentiae in eo, quo natura ejus a reliquis animalibus differt; tum aliud est huic subjectum, quod pertinet ad singulas partes honestatis, maxime autem ad moderationem.

XIII.

Panaetius triplicem tantum putavit esse rationem, in qua deliberare homines et consultare de officio solerent, primum honestumne factu sit an turpe, quod in deliberationem cadit: tum utile sit necne: denique si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quomodo ea discerni oporteret. De duobus generibus primis Panaetius tribus libris explicavit [6]); de tertio autem genere deinceps se scripsit dicturum, nec exsolvit, quod promiserat. Hanc partem, a Panaetio praetermissam, explevit Cicero, maximam partem, ut videtur, suo Marte [7]). Verum hac triplici divisione a Panaetio facta duo praetermissa esse, censuit Cicero [8]). Nec enim solum, utrum honestum an turpe sit, deliberari solet; sed etiam, duobus propositis honestis, utrum honestius, itemque, duobus propositis utilibus, utrum utilius. Et hunc quoque officiorum locum, a Panaetio praetermissum,

---

6) Cf. ad Attic. XVI. 11. Gell. N. A. XIII. 27.
7) De quo supra in disquisitione de Ciceronis fontibus.
8) Lynden. de Panaetio p. 104. hunc excusare studuit.

explanavit Cicero: quem locum gravissimi momenti esse, statuit Beierus, V. C. [9]). Nam reliqua magis politica et oeconomica esse, ethica autem eatenus tantum, quod rationi consentaneum sit, ut ad virtutis usum eas res paremus, quibus actio vitae continetur, atque ea de caussa etiam utilitates nobis comparemus. Cui quidem sententiae equidem haud accesserim; nam summi quique moralis doctrinae philosophi hanc partem non posuerunt. Etenim si primariae moralis doctrinae notiones accurate diligenterque constitutae sunt, hac philosophiae parte, quae dicitur ethica casuistica, supersedere possumus [1]); in hac enim, quae in principiis praetermissa sunt, repetuntur. — In disputatione de utili (liber secundus) primum agitur de utili universe, deinde ea rerum utilium genera numerantur, quae ad hominem augendum honestandumque pertinent, de gratia et gloria, quae nos cum vi et dignitate tum fructu quoque suo ducunt; de ceteris obiter tantum. Partim etiam agitur de ratione, qua utilia adipisci possimus. Quae ad vitam hominum pertinent, partim sunt inanima, partim animata: horum autem alia rationis expertia sunt, alia ratione utentia. Beneficentia et liberalitas,

9) ad Off. I. 3. p. 23.

1) Aristo Chius hoc recte sensisse videtur. V. Beier. in Exc. II. ad I. 3, 7. p. 315.

de quibus etiam hoc loco disputatur, pro rebus utilibus aut virtutibus ad populi favorem comparandum positae videntur. Paucis utile cum utili comparatur. — Denique in libro tertio disputatur de pugna utilitatis cum honestate. Cicero dicit, Panaetium hanc quaestionem objecisse quidem, sed non exsolvisse: quamquam triginta annis vixerit Panaetius, posteaquam libros suos de officiis edidisset. Quem locum miratur a Posidonio breviter esse tactum in quibusdam commentariis, praesertim, cum scribat, nullum esse locum in tota philosophia tam necessarium. Cicero autem minime assentitur iis, qui negaverunt, eum locum a Panaetio praetermissum, sed consulto relictum, nec omnino scribendum fuisse, quia nunquam posset utilitas cum honestate pugnare. De quo alterum dicit posse habere dubitationem, adhibendumne fuerit hoc genus, an plane omittendum: alterum dubitari non posse, quin a Panaetio susceptum sit, sed relictum.

Caput secundum.

DE NONNULLIS MORALIS PHILOSOPHIAE SENTENTIIS, CICERONI PROPRIIS.

XIV.

Jam age properemus ad explicandas explanandasque nonnullas moralis doctrinae notiones atque sententias

primarias, quas Cicero aut primus accuratius tetigit aut accurato contrariarum aliorum philosophorum sententiarum examine instituto clarius explicuit. — Primum, quod nobis animadversu dignum occurrit, in eo versatur, quomodo honestatis atque utilitatis rationem constituerit. Initio enim libri secundi de Officiis observavit, in eo, quod utile appellatur, lapsam consuetudinem deflexisse de via sensimque eo deductam esse, ut honestatem ab utilitate secernens, et constitueret, honestum esse aliquid, quod utile non esset, et utile, quod non honestum: qua nullam perniciem majorem hominum vitae potuisse afferri: utrumque genere (i. e. propria vi sua) confusum cogitatione tantum distingui posse [2]). Ex quo efficitur, addit Cicero, ut, quicquid honestum sit, idem sit utile; quod qui parum perspiciunt, hi saepe versutos homines et callidos admirantes, malitiam sapientiam judicant. Quorum error eripiendus est, opinioque omnis ad eam spem traducenda, ut honestis consiliis justisque factis, non fraude et malitia se intelligant ea, quae velint, consequi posse. Tum [3]) ad quaestionem a Panaetio propositam, sed non solutam redit: Si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret

2) Cic. Offic. II. 3. ubi cf. Beier.

3) Offic. III. 2. 3. et 4. usque ad §. 19. edit. Beieri.

cum eo, quod utile videtur, quomodo ea discerni oporteret.

XV. CONTINUATIO.

Saepe enim tempore fit, ut, quod turpe plerumque haberi soleat, inveniatur non esse turpe, v. c. caedes tyranni, quae multum emolumenti affert. Itaque, non ut aliquando anteponeremus utilia honestis, sed ut sine ullo errore dijudicare possimus, si quando cum illo, quod honestum intelligimus, pugnare id videbitur, quod appellamus utile, formula quaedam constituenda est: quam si sequemur, in comparatione rerum ab officio nunquam recedemus. Et haec quidem formula in eo consistit, ut unum debeat esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas unius cujusque et universorum, ut omnium utilitas sit communis, ut in actionibus nostris communis utilitas spectetur, nec nisi hactenus nostra commoda et emolumenta juventur ac promoveantur, si simul communis utilitas promovetur augeturque. Ita omnes virtutes cardinales simul communem utilitatem spectant. Panaetius non utilia cum honestis pugnare aliquando posse dixit, sed ea, quae viderentur utilia. Nihil vero utile, quod non idem honestum; nihil honestum, quod non idem utile esset. Itaque non ut aliquando anteponeremus utilia honestis, sed ut ea sine errore dijudicaremus,

si quando incidissent, induxit eam quae videretur esse, non quae esset repugnantiam [4]).

XVI.

Tennemannus [5]) Ciceronem in hac de utili atque honesto disquisitione sibi non constitisse contendit, quod partim, honestum sua sponte, suapte natura et per se expetendum esse, docuerit; partim honestum indissociabiliter esse copulatum cum utili; unde sequi videatur, illud sine hoc haudquaquam expeti posse; quum ab altera parte docuerit, virtutem esse per se expetendam, sine ulla mercedis spe [6]), et tamen ab altera parte dixerit, primariam esse humanae naturae legem, ex nostro commodo et emolumento nostras actiones esse constituendas, atque homines pervertere ea quae sunt fundamenta naturae, quum utilitatem ab honestate sejungerent [7]). — Quo quidem crimine Ciceronem exsolvit illustrissimus vir, Staeudlinus [8]): qui, eum constanter docuisse, honestum non ex commodis, quae sequutura essent, esse constituendum, egregie ostendit. Nihil enim jam idcirco esse

---

4) Offic. III. 7.
5) *Gesch. der Phil.* T. V. p. 129 sq.
6) Academ. IV. 46. Legg. I. 18.
7) Offic. III. 28.
8) *Gesch. der Moral.* p. 406.

honestum, quia utile sit; honestum igitur per se esse expetendum. Honestum autem in natura sic cum utilitate cohaerere, ut sejungi nequeant, et in nobis esse inextinctam quandam utilitatis appetitionem, Cicero docet [9]). Cicero non dixit, nos honestum tantummodo commodi caussa expetere posse, sed tantum, utilitatem quoque nobis esse expetendam. Tum vero per utile non solum corporis voluptates et externa commoda intellexit, verum etiam beatitudinem, ἀταραξίαν, bonam conscientiam (εὐδαιμονίαν, i. e. εὔροιαν βίου [1]). Cicero ipse dicit "quia nusquam possumus, nisi in laude, decore, honestate utilia reperire; utilitatis nomen non tam splendidum, quam necessarium ducimus [2])" virtutemque inter utilia refert [3]). Stoici enim haec virtute complectebantur. Utilitatem appeti quidem licet; sed honestate dirigenda est utilitas, et quidem sic, ut non sui commodi, sed communis utilitatis studium sit. Quid autem esset communis utilitas, haud dilucide exposuit; nec satis accurate distincteque sententiam suam in illa quaestione expressit.

---

9) Eleganter de hac re disputavit Beier. ad. Off. III. 8. p. 240 sq. et ad 28. p. 374.

1) V. Beier. ad Off. III. 8. p. 241. et in epicrisi p. 183. Cf. Offic. III. 21.

2) Cic. Offic. III. 28.

3) Cicero l. c.

XVII.

Locum, qui est de duobus propositis honestis utrum honestius [4]), a Panaetio relictum, explevit Cicero, atque breviter quidem nec diligenter, quomodo ea discerni oporteret, secundum quatuor virtutes cardinales exposuit. Vitam actionemque anteponendam esse cognitioni scientiaeque, aptam autem utriusque vivendi generis conjunctionem optimam esse, (quod Stoici quoque docuerant) ostensum ivit. Nam cum omnis honestas manet a partibus quatuor, quarum una sit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis: hae in diligendo officio saepe inter se comparentur necesse est. Primum omne officium justitiae, quae ad conjunctionem et societatem tuendam spectant, anteponenda sunt illi officio, quod cognitione et scientia continetur [5]). Idque hoc argumento confirmari potest: quodsi contigerit ea vita sapienti, ut in omnium rerum affluentibus copiis omnia, quae cognitione digna sunt, summo otio secum ipse consideret et contempletur: tamen, solitudo si tanta sit, ut hominem videre non possit, excedat e vita [6]). Princeps omnium virtutum sa-

---

4) Theophrastus primus de officiorum pugna nonnihil dixisse videtur. Gell. N. A. I. 2. V. Tennemann. *Gesch. der Phil.* T. III. p. 335.

5) Offic. I. 44.

6) Offic. I. 43.

pientia (σοφία) rerum est divinarum atque humanarum scientia: in qua continetur deorum et hominum communitas et societas inter ipsos. Hanc igitur longe praestare dicit soli cognitioni, prudentiae, scientiae (quam Graeci φρόνησιν vocant) [7]). Etenim cognitio contemplatioque naturae manca quodam modo atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur. Ea autem actio in hominum commodis tuendis maxime cernitur. Pertinet igitur ad societatem generis humani. Ergo haec cognitioni anteponenda est. Atque id optimus quisque re ipsa ostendit et judicat. Quis est enim tam cupidus in perspicienda cognoscendaque rerum natura, si ei, tractanti contemplantique res cognitione dignissimas, subito sit allatum periculum discrimenque patriae, cui subvenire opitularique possit, non illa omnia relinquat atque abjiciat, etiamsi, dinumerare se stellas aut metiri mundi magnitudinem posse arbitretur [8]). Atque illi, quorum studia vitaque omnis in rerum cognitione versata est, tamen ab augendis hominum utilitatibus et commodis non recesserunt. Nam et erudiverunt multos atque docent [9]). Denique homines, natura congregati, adhibent agendi

7) V. Beier. ad. h. l. p. 302.

8) Offic. I. 43.

9) Ibid. 44.

congregandique solertiam [1]). Itemque communitas anteponenda est magnitudini animi (fortitudini), quae, remota a communitate conjunctioneque humana, feritas sit quaedam et immanitas. Sed moderationi modestiaeque haec communitas, quae maxime est apta naturae, non anteponenda est. Sunt enim quaedam partim ita foeda, partim ita flagitiosa, ut ea ne conservandae quidem patriae caussa sapiens facturus sit [2]). Ita patefacto hoc loco, Cicero putat, non esse difficile in exquirendo officio, quid cuique sit praeponendum, videre. In ipsa autem communitate sunt gradus officiorum, ex quibus, quid cuique praestet, intelligi possit: ut prima diis immortalibus, secunda patriae, tertia parentibus, deinceps gradatim reliqua reliquis debeantur [3]).

XVIII.

Libris de Officiis relictis, jam ad alios pergamus, et quas in iis instituerit peculiares quasdam quaestiones, exponamus. In quarto libro de Finibus demonstrare conatus est, moralem doctrinam Zenonis a disciplina veterum Academicorum et Peripateticorum re

1) Ibid.

2) Ibid. 45.

3) Offic. I. 45.

congruere, verbis dissentire [4]. Reprehendit igitur Zenonem, qui cum nihil habuerit, quod in vetere et a Soraticis Aristoteleque constituta disciplina aut reprehenderet, aut mutaret, ausus sit eam deserere, novamque disciplinam condere, quae a superiori neque partitione, neque ulla re paullo majori, nisi verbis novis quibusdam, et scribendi ac disserendi ratione discreparet [5]. Cum superiores, e quibus planissime Polemo, secundum naturam vivere, summum bonum dixissent, idem posuerunt Stoici, et his verbis tria significari dixerunt: unum ejusmodi, vivere adhibentem scientiam earum rerum, quae natura eveniunt: alterum significare idem, ut si diceretur, officia omnia media, aut pleraque servantem vivere. Hoc sic expositum dissimile est superiori. Rectum (κατόρθωμα) contingit sapienti soli: media officia cadunt etiam in insipientes. Tertium autem, omnibus aut maximis rebus iis, quae secundum naturam sint, fruentem vivere: hoc non est positum in nostra actione. Com-

4) Fin. IV. 2. V. 25. Cf. Beier. ad Offic. I. p. 322 sq.

5) Fin. IV. 1-5. Fin. V. 25. Stoici non unam aliquam aut alteram a nobis (Peripateticis), sed totam ad se nostram philosophiam transtulerunt, atque, ut reliqui fures, earum rerum quas ceperunt signa commutant; sic illi, ut sententiis nostris pro suis uterentur, nomina, tanquam rerum notas, mutaverunt. Cf. Fin. V. 29. Legg. I. 13. 20. 21. V. Thorbecke in diss. laud. p. 30.

pletur enim et ex eo genere vitae, quod virtute finitur, et ex iis rebus, quae secundum naturam sunt, neque sunt in nostra potestate. Sed hoc summum bonum, quod tertia significatione intelligitur, eaque vita, quae ex summo bono degitur, quia conjuncta ei virtus est, in sapientem solum cadit: isque finis bonorum jam a Xenocrate atque Aristotele constitutus est [6]). Porro Stoici ab iisdem initiis exorsi sunt, a quibus veteres Academici et Peripatetici. Stoici dixerunt valetudinem corporis, integritatem sensuum non esse bona, sed praeposita, quae in corpore excellerent, non esse per se expetenda, sed sumenda: illam vitam, quae etiam ceteris rebus, quae essent secundum naturam, abundaret, magis expetendam non esse, sed magis sumendam: cumque ipsa virtus efficiat ita beatam vitam, ut beatior esse non possit; tamen quaedam deesse sapientibus tum, quum sint beatissimi; itaque eos id agere, ut a se dolores, morbos, debilitates repellant [7]). Porro dicunt omnia vitia esse paria; qui virtutem non plane consequuti essent, summe esse miseros, neque inter eorum vitam et improbissimorum quicquam omnino interesse; sed omnes, qui non sint sapientes, pari modo esse infe-

6) Fin. IV. 6.

7) Fin. IV. 8.

lices [8]). Haec autem praecepta Cicero non tanti esse censet, ut propterea a veteri disciplina desciscendum fuerit: inprimis quum ea omnia aditum habere nullum possint in urbem, in forum, in curiam, et hominum sensibus et rerum naturae atque usui loquendi repugnent [9]). Haec sunt argumenta, quibus Cicero, Zenonem et Stoicos inepte mutasse veterem disciplinam, et quae ab iis novata, correcta et addita essent, eorum multa falsa atque inania esse, demonstrare voluit.

XIX.

Jam vero quum ab iisdem a quibus Peripatetici initiis naturae, animo et corpore et utriusque conservandi studio proficiscantur, male paullo post corporis plane oblivisci, et in exquirendo summo bono et malo unius animi rationem habere atque adeo vehementer sibi repugnare, admirabili quadam sagacitate probare aggreditur. Nam etsi corporis bona parva sunt ad virtutem, et ab ea obscurantur et obruuntur, non sunt tamen plane nihil, atque adeo, etsi parvae, tamen partes vitae beatae [1]). Deinde quum omnium naturarum simile sit id, ad quod omnia referuntur,

8) Fin. IV. 9.
9) Fin. IV. 9. 18. 19.
1) Fin. IV. 10-12.

et quod est ultimum rerum appetendarum; omnis autem natura nullam sui partem deserat, neque tantum in optimo conservando perficiendoque laboret: nulla ratio est, quare summum bonum non in toto homine, sed in parte hominis ponatur, neque totum hominem omnesque ejus partes, sed optimum tantum sapientis, tanquam nihil praeter ingenium esset homo, complectatur [2]). Quod Stoici dicunt, virtutem non posse constitui, si, quae extra eam sunt, ad beatam vitam pertineant, id totum contra esse, contendit. Nam cum virtus quaesita sit, non quae relinqueret naturam, ejusque initia, sed quae tueretur; introduci virtus non potest, nisi omnia, quae leget et rejiciet, unam referantur ad summam [3]). Illud autem minime probari posse dicit, quod, ubi a Stoicis solum honestum in bona sede locatum est, tum rursus dicant, initia proponenda esse accomodata naturae, quorum

---

2) Fin. IV. 13. 14. Stoici minime sibi constiterunt hac in re. Etenim omnia corporis et externa bona spernunt, et tamen ea, positis ἀδιαφόροις, in disciplinam suam receperunt. Locus relinquitur, in quem virtus non pertinere atque vim suam exserere potest. In morali autem doctrina, recte constituta, ἀδιαφόροις nihil loci relinqui debet. Honestus enim vir omnia atque singula virtutis vi agit. Primus hunc Stoicae doctrinae errorem animadvertit Aristo, Chius, acutissimus philosophus. Fin. III. 4. 15. V. 21. Academ. II. 42.

3) Fin. IV. 15. 16.

e selectione virtus possit existere. Non enim est aequum aliunde finem beate vivendi, nempe ab honesto, aliunde vero, nempe a natura, principium agendi petere; sed una ratione utrumque contineri oportet [4]). Porro in illis consectariis: omne bonum laudabile, laudabile omne honestum; igitur omne bonum honestum; item in illo sorite: quod bonum est, id est optabile, quod optabile, expetendum, et sic porro, sumi ea, quae a nemine concedantur, nisi qui sola virtute finem bonorum contineri putet, statuit. Porro, Zenonem, caussam non obtinentem, repugnante natura, verba versare coepisse, dicit: eundemque primum rebus iis, quae nos bona ducimus, concessisse, ut haberentur aptae, habiles et ad naturam accomodatae: faterique coepisse sapienti, i. e. summe beato, commodius tamen esse, si ea quoque habeat, quae bona non audet appellare. Docent, omnia peccata esse paria, et tamen alia esse tolerabilia, alia nullo modo [5]), Negat, Platonem, si sapiens non sit, eadem esse in caussa, qua tyrannum Dionysium. Harum angustiarum unam caussam esse profitetur Cicero gloriosam illam in constituendo summo bono ostentationem. Nam cum, quod honestum est, id

---

4) Fin. IV, 17.

5) Fin. IV. 20.

solum bonum confirmatur, omnia officia vitae tolluntur: ex quibus angustiis dum se vult expedire Zeno, nova quaedam dicere cogitur; sed ea cum aristoteleis re consentientia, verbis discrepantia; quae verborum dissensio nihil prosit v. c. ad contemnendum dolorem [6]). Idem de illis παραδόξοις statuendum censuit.

XX.

In hac disquisitione non possumus non mirari Ciceronis acumen atque subtilitatem, qua multa quibus stoica disciplina laborabat vitia aperuit atque detexit. Quamquam, si quae a Zenone in veteri disciplina novata sunt, diligenter pensitamus, Ciceronem gravius de Stoicorum philosophia tulisse judicium, nemo facile inficias ibit. Enimvero quod novis rebus nova Zeno vocabula posuerit, partimque vetera nova donaverit significatione [7]), ei sane vitio haud vertendum est. Tum vero haec a Zenone constituta disciplina non solum verbis quibusdam novis, et scribendi ac disserendi ratione, verum etiam summis philosophiae

---

6) Fin. IV. 25. 26. Saepius Cicero Zenonis verborum novationem perstringit atque traducit. Cf. quae congessit Beier in exc. VI. ad Off. I. 3, 10. p. 322. Eleganter hac de re disseruit Lilie comment. I. de Stoic. ph. mor. p. 43.

7) V. Tennemann. *Gesch. der Philos.* T. IV. p. 7 sq. p. 11 sq.

momentis a veteri illa schola discrepat, atque multas novas sententias continet [8]).

8) V. Staeudlinus, V., C. l. c. p. 412. Ceterum, quale philosophiae moralis principium statuerit Cicero, eruere conatus est J. R. Thorbecke in dissert. laudata p. 14 sq. Locus de hac re classious legitur Fin. IV. c. 17.: ex quo dilucide apparet, Ciceronem non e Stoicorum ratione principium agendi (sive officii) et summum bonum disjungendum judicasse, sed ex Aristotelis et Peripateticorum sententia utrumque arcte esse copulandum. Omnia enim, quae sumenda, quaeque legenda aut expetenda sunt, inesse debent in summa bonorum, ut is, qui eam adeptus sit, nihil praeterea desideret. Stoicos autem dicit, quibus nihil est aliud propositum, nisi rectum atque honestum, unde officii, unde agendi principium nascatur, non reperire posse. Quibus natura, inquit, jure responderit, non esse verum, aliunde finem beate vivendi, a se principia rei gerendae peti: esse enim unam rationem, qua et principia rerum agendarum et ultima bonorum continerentur. Quid autem, pergit, minus consentaneum est, quam, quod ajunt, cognito summo bono, reverti se ad naturam, ut ab ea petant agendi principium, i. e. officii? Non enim rationis aut officii ratio impellit ad ea, quae secundum naturam sunt, appetenda, sed ab his et appetitio et actio commovetur.

Caput quartum.

DE POLITICA.

XXI.

CONSTITUTIO HUJUS LOCI.

Restat denique postremus disputationis nostrae locus, qui est de politica, isque variis de caussis explanatu est longe difficillimus. In primis, quominus hoc argumentum rite et ea qua decebat ratione pertractari absolvique posset, impedimento fuit id, quod Ciceronis de hac philosophiae parte libri misere mutilati corruptique ad nos pervenerunt. De libris, quos Cicero de Republica conscripsit, quamquam supra uberius exposuimus, pauca tamen ad illustrandum hunc locum illis visa sunt adjicienda.

XXII.

Ac primum quidem, si quaerimus, quodnam in conscribendis his libris Cicero sequutus fuerit consilium, idem fuisse videtur, quod in omnibus philosophicis scriptis Ciceronem sequutum esse, supra significavimus. Etenim Cicero, patriae civiumque suorum amantissimus, quum rempublicam vetustate jam evanescentem [9]), atque excellentissimas illas priscorum Romanorum virtutes paene extinctas videret, ci-

9) Cic. de Rep. V. 1.

vibus suis ostendere voluisse videtur, qua civitatis gubernatione, quibusque moribus usi veteres Romani ad tantum potentiae, splendoris majestatisque fastigium escenderint: item id efficere studuisse, ut antiqui majorum mores, virtutes, leges atque instituta revocaret atque reduceret [1]). — Quantumvis in conficiendo hoc scripto Ciceroni Platonis opus facem praetulit, et multa quoque de dispositionis ratione, deque singulis sententiis ille ab hoc mutuatus est: utriusque tamen operis et consilium et ingenium atque indoles diversissima sunt. Cicero enim Platonis quidem exemplo scripsit hos libros de Republica, neque tamen ita eam informavit, ut in re ac natura existere non posset, sed ut, explicita humanae societatis origine atque indole, optimam civitatis formam effingeret eamque in exemplum proponeret, ad quod romana respublica revocaretur atque emendaretur [2]). Quam quidem sententiam egregie probant ea, quae in secundo libro [3]) Laelius Scipioni dicit: Nos vero videmus, et te quidem ingressum ratione ad disputandum nova, quae nusquam est in Graecorum libris.

1) Cic. de Rep. III. 29. ubi v. Maj. p. 259. — de Rep. V. 1. Idem consilium sequutus est in libris de Legg., ubi v. c. I. 13. ait: Ad res publicas firmandas, et ad stabiliendas vires, sanandos populos omnis nostra pergit oratio.

2) Wyttenb. Bibl. crit. Vol. I. 3. p. 7.

3) de Rep. II. 11.

Nam princeps ille, quo nemo in scribendo praestantior fuit, aream sibi sumsit, in qua civitatem exstrueret arbitratu suo; praeclaram ille quidem fortasse, sed a vita hominum abhorrentem et a moribus. Reliqui disseruerunt sine ullo certo exemplari formaque reipublicae de generibus et rationibus civitatum. Tu mihi videris utrumque facturus; es enim ita ingressus, ut quae ipse reperias tribuere aliis malis, quam, ut fecit apud Platonem Socrates, ipse fingere, et illa de urbis situ revoces ad rationem, quae a Romulo casu aut necessitate facta sunt; et disputes non vaganti oratione, sed defixa in una republica. Huc quoque alius ejusdem libri locus pertinet [4]): Plato — civitatem optandam magis quam sperandam [5]) quam minimam posuit, non quae possit esse, sed, in qua ratio rerum civilium perspici posset, effecit. Ego autem, si quo modo consequi potuero, rationibus eisdem, quas ille vidit, non in umbra et imagine civitatis, sed in amplissima republica enitar, ut cujusque et boni publici et mali caussam tanquam virgula videar attingere [6]). Diversitas utriusque operis clarius etiam inde apparebit, quod saepius eadem illa a Scipione in his libris repetitur sententia, opti-

4) Cic. de Rep. II. 30,
5) Vide Morgenstern. de Rep. Platonis p. 162.
6) ubi v. Angel. Maj. p. 188 sq.

mum longe statum civitatis esse eum, quem majores sibi reliquissent (scil. aevo Scipionis) [7]. Constituere voluit Cicero eam rempublicam, quae possit esse diuturna [8]: quod quidem Plato [9] quoque legislatorem spectare jubet.

XXIII. CICERONIS DE OPTIMO CIVITATIS STATU SENTENTIA.

Deus hominis naturam ad societatem conjunctionemque instituit. Enimvero insignis est humani generis similitudo: depravatio tantum consuetudinum opinionumque varietas imbecillitatem animorum torsit atque flexit [1]. Ad participandum igitur alium ab alio communicandumque nos natura facti sumus [2]. Huc accedit, quod omnes inter se naturali quadam indulgentia et benevolentia, tum etiam societatis jure

---

7) de Rep. I. 21. Legg. II. — de Rep. II. 39. Quod autem exemplo nostrae civitatis usus sum, non ad definiendum optimum statum valuit; nam id fieri potuit sine exemplo; sed ut a civitate maxime cerneretur quale esset id quod ratio oratioque describeret. Sin autem sine ullius populi exemplo genus ipsum exquiris optimi status, naturae imagine utendum est nobis.

8) de Rep. III. 4.

9) Platon. Legg. IV. p. 714.

1) Cic. Legg. I. 10.

2) Legg. I. 12.

continemur [3]). Natura enim vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem: ingeneratque inprimis praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt: impellitque ut hominum coetus et celebrationes esse et a se obiri velit, ob easque caussas studeat parere ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum, nec sibi soli, sed conjugi, liberis ceterisque, quos caros habeat tuerique debeat [4]). Nemo in solitudine vitam agere vult, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia [5]). Prima igitur in societatem civilem coeundi caussa est non tam imbecillitas, quam naturalis quaedam hominum quasi congregatio, et beate honesteque vivendi studium [6]). Civitas igitur non omnis hominum coetus quoque modo congregatus, sed coetus multitudinis juris consensu et

---

3) Legg. I. 13.

4) Offic. I. 4.

5) Fin. III. 20. — Cf. de Amicit. c. 23. Orat. pro Sextio c. 42. de Invent. I. 2. Adde loca a Beiero ad Offic. I. 16. p. 121. laudata. — Cf. Offic. I. 44.

6) de Rep. IV. 3. Aristot. Reip. III. 9. Plato contra in Rep. II. p. 369. caussam societatis civilis necessitatem esse censet: idem tamen de Legg. III. p. 678. naturalem dicit esse hominum congregationem solitudinis odio. V. Maj. p. 70. Ciceroni adversatur etiam Hugo Grotius de J. B. et P. I. 4, 7. 88 p. m., qui sponte adductos homines arbitratur experimento infirmitatis familiarum adversus violentiam in societatem civilem coiisse.

utilitatis communione sociatus [7]). Hinc Cicero rempublicam vocat rem populi, rem patriae, rem communem. Hominibus enim naturale quoddam desiderium est honestae societatis, cujus quaedam quasi semina insita habeant: quemadmodum virtutes sunt naturales, neque earum ulla potest reperiri institutio; ita respublica neque minus naturalis est, neque institui potest [8]). Sed haec quidem beate et honeste vivendi societas sive civitas, ut diuturna sit, consilio quodam regunda est. Id autem consilium semper ad eam caussam referendum est, quae caussa genuit civitatem, i. e. ad concordiam, felicitatem mutuamque utilitatem [9]).

XXIV. DE DIVERSIS RERUM PUBLICARUM GENERIBUS.

Summa omnium rerum aut uni tribuenda est, aut delectis quibusdam, aut suscipienda est multitudini atque omnibus. Primus reipublicae status, quum penes unum est omnium summa rerum, regnum

7) de Rep. I. 28. Cicero in explicanda populi notione ob oculos habuisse videtur Arist. Polit. V. 3. 10. p. 191 sq. Schneid. atque Polyb. VI. 4. Cf. Kreuzer l. c. p. 53.

8) de Rep. I. 26.

9) de Rep. I. 26. Sic recte exposuit Maj. p. 72., laudans Aristot. Reip. I. 1, 2. III. 9. IV. 4. Cic. Offic. I. 25. ubi Beier. laudat Plat. Reip. I. p. 310. A.

vocatur, atque, qui ei praeest, rex. Cum autem est penes delectos, tum illa civitas optimatium arbitrio regi dicitur. Tertius denique reipublicae status, in quo in populo sunt omnia, civitas popularis dicitur. Horum trium generum quodvis, si teneat illud vinculum, quod primum homines inter se reipublicae caussa devinxit; non perfectum illud quidem neque optimum, sed tolerabile tamen et aliud alio possit esse praestantius. Nam vel rex aequus ac sapiens; vel delecti ac principes cives, vel ipse populus, quamquam id minime probandum censuit Cicero, tamen, nullis interjectis iniquitatibus aut cupiditatibus, posse videtur aliquo esse non incerto statu [1]). Cicero itaque horum rerum publicarum trium generum nullum probat. Nam in regnis [2]) nimis expertes sunt ceteri communis juris et consilii: et in optimatium dominatu vix particeps libertatis potest esse multitudo, cum omni consilio communi ac potestate careat: et quum omnia per populum geruntur, quamvis justum ac moderatum, tamen ipsa aequabilitas est iniqua, quum habet nullos gradus dignitatis [3]). Porro nullum est genus harum rerum publicarum, quod non habeat iter ad finitimum quoddam malum praeceps ac lubri-

1) Cic. de Rep. I. 26.
2) de Rep. I. 27.
3) Cf. Arist. Reip. III. 10 sqq.

cum. Nam de rege facile existere potest dominus, uniusque vitio genus reipublicae ex bono in deterrimum converti [4]). Paucorum et principum administrationi civitatis finitimus est consensus et factio. Populi denique potestas facile in furorem licentiamque converti potest [5]). — Sed si ex tribus illis simplicibus civitatibus unum eligendum atque probandum sit, ex his optimum judicat Cicero regale genus civitatis atque laudat [6]); ita, quoad statum suum retinet: is est autem status, ut unius perpetua potestate et justitia omnique sapientia regatur salus et aequabilitas et otium civium [7]). Antea tamen Cicero illos tres rerum publicarum modos curate diligenterque examinavit, eorumque vitia atque laudes commemoravit atque percensuit. [8]).

Etenim fortuna reipublicae pendet ab ejus qui illam regit aut natura aut voluntate [9]). Itaque nulla

4) Cic. de Rep. II. 26. I. 28. Plura de hac re disputavit Cicero elegantissime de Rep. I. 42-45. Plurima hausisse videtur e Polybio VI. 3. 7. et alibi. Cf. Plat. Reip. VIII. p. 545 sq.

5) Cic. de Rep. I. 28.

6) de Rep. II. 26. I. 28. init. 27. I. 35. De regno vide Hugonem Grotium de J. B. et P. I. 3. 12. p. 219 sqq. et Kreuzer. Heidelberg. Litt. p. 56.

7) Cic. de Rep. II. 23.

8) de Rep. I. 31-35.

9) de Rep. I. 35. Legg. III. 2. 5. 13. 14.

alia in civitate, nisi in qua populi potestas summa est, ullum domicilium libertas habet: qua quidem certe nihil potest esse dulcius, et quae, si aequa non est, ne libertas quidem est. In regno autem ne obscura quidem est aut dubia servitus. — In istis civitatibus, in quibus verbo sunt liberi omnes, ferunt quidem suffragia, mandant imperia, magistratus ambiuntur, rogantur; sed ea dant magis, quae, etiamsi nolint, danda sint, et quae ipsi non habent, unde alii petunt: aut enim expertes imperii, consilii publici, judicii delectorum judicum; quae familiarum vetustatibus aut pecuniis penderentur [1]). Sed in regno tamen occurrit certe nomen quasi patrium regis, qui consulit ut parens populo, conservatque studiosiùs eos, quibus praeest, quam optima in conditione vivendi [2]), quam in servitutem redigit: ut sane utilius sit facultatibus et mente exiguos sustentari unius optimi et summi viri diligentia. Et vero regiam civitatem ex his potissimum caussis argumentisque probandum esse arbitratur. Primum quidem, quemadmodum Jovem unum omnium deorum et hominum regem esse omnes docti indoctique uno ore consentiunt, ejusdemque divina mente et numine omnem hunc mundum

---

1) ubi cf. Maj. p. 81.

2) Cic. de Rep. I. 35; II. 26.

regi administrarique, sapientissimi viri senserunt: ita etiam nihil esse rege melius, qui omnem civitatem nutu suo regat atque gubernet [3]. Tum vero, quum omnes animorum perturbationes consilio sedandae sint, atque adeo consilium in animis hominum regale quoddam imperium teneat atque exerceat, ut omnes animi partes sub regno sint et regantur consilio, in civitate, si in plures summa translata sit, intelligi jam licet, nullum fore quod praesit imperium: quod quidem, nisi unum sit, esse nullum potest [4]. Denique ut in privata domo unus negotiis praeest, et hujus unius dicto omnis familia audiens esse debet: ita in republica unius dominatus, si modo justus sit, est optimus. Sic uni gubernatori, uni medico, si digni modo sint iis artibus, rectius est, alteri navem committere, aegrum alteri, quam multis [5].

XXV.

Verum in simplicibus illis civitatibus quum frequentissimae rerum publicarum fiant commutationes, Cicero eam optimo statu constitutam rempublicam esse judicat, quae ex tribus generibus illis optimis, quae commemoravimus, effloruerit: quae nimirum ex

3) de Rep. I. 36.
4) de Rep. I. 38.
5) de Rep. I. 40.

regali et optimati et populari permixta, temperata modiceque confusa et aequata sit [6]). Placet enim esse quiddam praestans in republica et regale; esse aliud auctoritate principum partum ac tributum; esse quasdam res servatas judicio voluntatique multitudinis. Haec enim constitutio atque conformatio reipublicae primum habet aequabilitatem quandam magnam, qua carere diutius vix possunt liberi, deinde similitudinem. Non est enim caussa conversionis, ubi in suo quisque gradu firmiter collocatus est et non, quo praecipitet ac decidat. Hujus quidem mixtae civitatis exemplar perfectum atque absolutum proponit Cicero eam, quam Romani veteres posteris suis reliquerant [7]): cum qua aut constitutione aut descriptione aut disciplina nulla omnium rerumpublicarum conferenda sit [8]). Quae quidem civitas non unius ingenio, sed multorum, nec una hominis vita, sed aliquot constituta saeculis et aetatibus, et nascens et crescens et adulta et jam firma atque robusta [9]), et qualis sit, et opti-

---

6) Cf. de Rep. I. 35. II. 23. Haec eadem est Polybii sententia. VI. 3. Eandem quoque civitatis formam Stoici perfectissimam judicarunt. V. Tennemann. *Gesch. der Phil.* T. IV. p. 145.

7) Cf. illustrissimi viri Heerenii *alte Gesch.* p. 400. et alibi Edit. IV.

8) Idem judicium tulit Polyb. VI. 4.

9) Cic. de Rep. II. 1.

mam esse, eo ostendit, quod historiam romanam ab initio usque ad Scipionis tempora persequitur, et hanc rempublicam romanam tanquam exemplar proponit, ad quod omnem illam orationem, quam de optimo civitatis statu habet, dirigat atque componat.

XXVI. CONTINUATIO.

Ac primum quidem Romulus [1]) urbi locum, quod est ei, qui diuturnam rempublicam serere conatur, diligentissime providendum, incredibili opportunitate delegit [2]). Tum etiam vidit singulari imperio et potestate regia tum melius gubernari et regi civitates, si esset optimi cujusque ad illam vim dominationis adjuncta auctoritas. Itaque hoc consilio et quasi senatu fultus et munitus rempublicam gessit [3]). Egregium porro reipublicae peperit firmamentum auspiciis institutis [4]). Sed praeclare civitas romana aliis praestat eo, quod Romani statim in initio imperii, etiam tum agrestes, viderunt, virtutem et sapientiam regalem, non progeniem quaeri oportere [5]). Numa Pompilius Romanos a bellicis studiis revocavit ad pacem,

---

1) Cic. de Rep. II. 3.
2) de Rep. II. 3-6.
3) de Rep. II. 9.
4) de Rep. ubi et Maj. p. 142.
5) de Rep. II. 12 sqq.

et duas praeclarissimas ad diuturnitatem reipublicae res confirmavit, religionem atque clementiam [6]). Tullus Hostilius, excellens in re militari gloria, magnis rebus bellicis atque jure feciali instituto auxit atque corroboravit romanum imperium [7]). Nec minus Ancus Martius et Tarquinius Priscus salutaribus et egregiis institutis factis rei romanae praeclare prospexerunt [8]). Ex omnibus tamen in republica vidit plurimum Servius Tullius, cujus praestantissima instituta paucis complectitur [9]). Inprimis Romanos ita disparavit, ut suffragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate essent: ut igitur is in suffragio plurimum valeret, cujus plurimum intererat esse in optimo statu civitatem. Quae de ultimo rege a Cicerone dicta sunt, particula quadam excepta, temporis injuria interciderunt. — Jam vero, quod proprium sit in romana republica, quo nihil possit esse praeclarius, id Cicero persequitur subtilius. Enimvero romana respnblica, expulso Tarquinio, ita conformabatur, ut ex tribus illis rerum publicarum generibus constaret. Tenuit enim senatus hoc in statu rempublicam tem-

---

6) de Rep. II. 13 sqq.

7) Ibid. c. 17.

8) Ibid. c. 18-21.

9) Ibid. c. 22. ubi cf. Maj.

poribus illis, ut in populo libero pauca per populum, pleraque senatus auctoritate et instituto ac more gererentur: atque uti consules potestatem haberent tempore duntaxat annuam, genere ipso ac jure regiam [1]). Populi comitia non valebant, nisi ea patrum approbasset auctoritas [2]). Verum quum in civitate romana ita constituta nondum aequabilis esset compensatio et juris et officii et muneris, factum est, ut pluribus seditionibus commotis a plebe, contra consulare imperium duo tribuni plebis constituerentur, atque inde egregia quaedam aequabilitas effloresceret [3]). Ita potentia senatus atque auctoritas minuebatur quidem; gravis tamen et magna remanebat, sapientissimis et fortissimis et annis et consilio civitatem tuentibus; quorum auctoritas maxime florebat, quod, quum honore longe antecellerent ceteris, voluptatibus erant inferiores, nec pecuniis ferme superiores: eoque erat cujusque gratior in republica virtus, quod in rebus privatis diligentissime singulos cives opera, consilio, re tuebantur [4]).

---

1) Legg. III. 3.

2) de Rep. II. 32.

3) Ibid. c. 33. 34.

4) Ibid. c. 34.

XXVII. DE MORIBUS ET LEGIBUS.

Fundamenta civitatis sunt mores et leges [5]). Locus de moribus nobis praetereundus est, quoniam liber quartus de Republica, quo hoc argumentum continebatur, totus paene, exceptis pauculis quibusdam particulis, interiit. Uberius tamen exponere licebit de legibus.

Justitia in republica primum atque principem locum obtinere debet. Enimvero uti in musica concentus est quidem tenendus ex distinctis sonis, isque ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur et congruens: sic civitas ex diversissimis ordinibus, ut sonis, moderata ratione consensu dissimillimorum concinere debet; et quae harmonia a musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, arctissimum atque optimum vinculum incolumitatis in omni republica, eaque sine consilio nullo pacto esse potest; haec enim praecipit parcere omnibus, consulere generi hominum, suum cuique reddere, et multa alia laudabilia [6]). Aequitatem in omnibus servat, et cum ceterae virtutes quasi tacitae sint, et intus inclusae, sola justitia est, quae nec sibi tantum conciliata sit, nec occulta, sed foras tota promineat [7]), et ad bene

5) Polyb. VI. 47.
6) Cic. de Rep. III. 12.
7) Cic. de Rep. III. 7.

faciendum prona sit, ut quam plurimis prosit, in omnes sine ullo discrimine homines cadat. Ad hanc autem justitiam deus nos procreavit [8]). Jus igitur non opinione, sed natura est constitutum [9]). Quo posito, respublicas magis inde confirmari posse, leges stabiliri, et populos sanari, statuit Cicero [1]). Haec lex naturae saeculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla aut quam omnino civitas constituta: haec lex est recta ratio, qua nihil divinius est, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, quae tamen neque probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest: nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus: neque est quaerendus explanator aut

---

8) Lactant. de Ira Dei. cap. ultim. Instit. III. 28. e Cicerone.

9) Legg. I. 10.

1) Legg. I. 22. Sed profecto ita se res habet, ut, quoniam vitiorum emendationem legem esse oportet, commendatricemque virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur. — Legg. II. 5. Constat profecto, ad salutem civium, civitatumque incolumitatem vitamque hominum quietam et beatam conditas esse leges; eosque qui primum ejusmodi scita sanxerint, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturos, quibus illa adscriptis susceptisque honeste beateque viverent, etc.

interpres ejus alius: nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit: unus quisque erit communis quasi magister et imperator omnium deus; ille legis hujus inventor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernatus hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi cetera supplicia, quae putantur, effugeret [2]). Ante omnia enim hoc tanquam concessum atque fixum poni postulat, omnem naturam vi ac munere deorum regi: cui quidem sententiae, tanquam fundamento, superstruxit hanc de legibus disquisitionem. Porro hominem dicit praeclara quadam conditione generatum esse a summo deo: solus est enim ex omnibus animantibus particeps rationis: qua in omni rerum natura nihil divinius reperitur: solus homo habet notitiam aliquam dei et plurimarum rerum obscuras et necessarias intelligentias, quasi fundamenta quaedam scientiae. Tum figura corporis habilis et apta ingenio humano est. Immo homini cum deo est similitudo, et quum

2) Lact. inst. VI. 8. Cf. Cic. Legg. I. 6. II. 4. Adde Hugon. Grot. de J. B. et P. I. 1. 10. p. m. 4. et in not. p. 11. — Naturae lex Ciceroni est idem quod jus gentium, quod idem ab hominis natura ex intima philosophia hauriendum putat (Cf. Offic. III. c. 5.), et a civili, i. e. publice constituto, distinguit. Vide doctissimam observationem Beieri ad Offic. III. c. 17. p. 308 sq. et ad c. 5. §. 23. p. 319. Adde Binkes comm. laud. p. 54. 55. et quos laudat p. 56. in annot.

virtus nihil aliud sit, quam in se perfecta et ad summum perducta natura, eadem cum deo virtus: ad hominum commoditates et usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata videantur: artes vero innumerabiles repertae sunt ab ingenio et industria humana, docente natura; quam imitata ratio res ad vitam necessarias sollerter consecuta est [3]). — Tum hominum inter ipsos societatem conjunctionemque esse statuit Cicero: nihil enim unum uni esse tam simile, tam par, quam omnes inter nosmetipsos esse. Etenim eorum natura et ratio et sensus communes sunt. Itaque, quaecunque est hominis definitio, una in omnes valet. Non solum in rectis (neque enim est quisquam gentis ullius, qui ducem naturam nactus ad virtutem pervenire non possit), sed etiam in pravis artibus insignis est humani generis similitudo. Ex quo sequitur tertium, ad participandum alium ab alio communicandumque inter omnes jus, nos natura esse natos. Sed tanta est corruptela malae consuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi extinguantur a natura dati; exorianturque et confirmentur vitia contraria. Si homines et in judicando et in agendo semper naturam ducem sequerentur, egregie sese haberent. Jus autem datum est omnibus: nobis

3) Cic. de Legg. I. 7-9.

enim est ratio atque etiam recta ratio [4]) data: ergo et lex, quae est recta ratio in jubendo et vetando: si lex, jus quoque; at omnibus ratio: jus igitur datum est omnibus. Tum illud efficitur, quod quibusdam incredibile videatur, est autem necessarium, uti nihil sese plus, quam alterum diligat [5]). His expositis, sententiam, qua natura jus esse posuit, sic fere illustravit Cicero. — Homines poenas luunt non tam judiciis, sed angore conscientiae fraudisque cruciatu. Quod si poena, si metus supplicii, non ipsa turpitudo deterret ab injuriosa facinorosaque vita; nemo est injustus; aut incauti potius habendi sunt improbi. Tum autem, qui non ipso honesto movemur, ut boni viri simus, sed utilitate aliqua atque fructu [6]), callidi sumus, non boni. Neque igitur omnia Cicero justa esse censet, quae scita sint in populorum institutis aut legibus. Est igitur unum jus, quo devincta est hominum societas, et quod lex constituit una; quae lex est recta ratio imperandi atque prohibendi: quam qui ignorat, is est injustus, sive est illa scripta unquam, sive nusquam [7]). Non solum jus et injuria natura dijudicantur, sed omnino omnia honesta ac

---

4) De recta ratione cf. Tusc. Qu. IV. 15.: est Zenonis ὀρθὸς λόγος. — Recta ratio, absoluta ratio. Tusc. Qu. V. 13. — δίκαιος λόγος. Plut. Gorg. p. 124. Bip.

5) Legg. I. 10-13.

6) Legg. I. 15.

7) Legg. I. 15.

turpia: quod nisi ponatur, virtutes omnes tollentur. Itemque in deos caerimonias religionesque, quas non metu, sed ea conjunctione, quae est homini cum iis, conservandas putat [8]). Porro, sublato naturae jure, latrocinari, adulterare, testamenta falsa supponere liceret, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. Nec vero stultorum sententiis atque jussis rerum natura vertitur, ut, quae mala perniciosaque sunt, pro bonis ac salutaribus habeantur [9]). Hinc igitur consequitur et jus et omne honestum sua sponte esse expetendum [1]) et colendum. Omnes virtutes sunt gratuitae, non mercenariae, sine praemio ac mercede [2]). Hoc quidem loco Ciceronis oratio liberius evagatur, commemoratque controversiam illam de finibus bonorum, ubi magis de verbis quam de rebus certari censet [3]).

Haec a nobis de naturae lege, a Cicerone constituta, si mente complectimur, facile eruere poterimus, quid Cicero per ultimam illam et summam legem naturae intellexerit. Homo enim ceteris animantibus praecipue ratione antecellit: quae hominis naturae propria est. Quae vero recta ratio aut jubet, aut vetat, haec est certissima norma atque regula, ad

8) Legg. I. 15.
9) Legg. I. 16.
1) Legg. I. 18.
2) Ibid.
3) Ibid. c. 20. usque ad finem.

quam omnia, quae facimus atque agimus, exigantur atque dirigantur. Haec enim lex ad unius cujusque hominis naturam atque indolem pertinet. Lex igitur naturae est lex rationis. Omnes igitur consentire ac conspirare debent in iis, quae ex summis principiis naturae rerum et hominum arcessuntur, quaé omnis juris prima veluti stamina continent. Quae quum relinquimus atque deserimus, natura nostra a sua dignitate atque praestantia videtur recessisse.

XXVIII.

Secundo de legibus libro Cicero, priusquam aggreditur ad singulas leges, a principi illa lege, quae neque hominum ingeniis excogitata nec scitum aliquod est populorum, sed aeternum quiddam, quod universum mundum regit imperandi prohibendique sapientia, principia justitiae naturalis repetit. Haec igitur summa lex est mens omnia ratione aut cogentis aut vetantis dei. Ergo ut haec dei mens summa lex est; ita, quum in homine est perfecta, est in mente ac ratione sapientis. Jussa ac vetita populorum vim non habent ad recte facta vocandi et a peccatis avocandi: quae vis non modo senior est, quam aetas populorum et civitatum, sed aequalis illius caelum atque terras tuentis et regentis dei [4]). Quae

4) Legg. II. 4.

sunt autem varie et ad tempus descripta populis, favore magis, quam re legum nomen tenent. Quin etiam multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis, quae non magis legis nomen attingunt, quam si latrones aliqua consessu suo sanxerint. Ergo est lex justorum injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos [5]). Neque adeo alia est ulla lex non modo habenda, sed ne appellanda quidem [6]). — Jam sese accingit ad proponendam ipsam legem de religione, vel potius ejus exemplum. Leges enim edere non voluit perfectas, quod esset infinitum, sed ipsas summas rerum atque sententias [7]).

XXIX.

Lex, quam de religione expromsit, in eo consistit, ut leges naturales, quae possint ad caussam religionis applicari, in compendium ac veluti summam redactae exhibeantur [8]). Singulas proponit [9]) leges, easque explicat atque earum rationem reddit. Tertio libro praecepta dedit de magistratibus, qui, constituta religione, rempublicam contineant. Quae quidem lex,

5) Legg. II. 5.
6) Legg. II. 6.
7) Legg. II. 7.
8) Verba Guentheri l. c. p. 11.
9) inde a cap. X. usque ad finem libri II.

ipso teste Cicerone, paucis novis ditata, conspirat cum romanorum magistratuum conditione, admodum ipsi probata. Deinceps enumerat atque illustrat singulas legis partes: cujus loci prior pars nobis est servata. Sub finem disputationis novum indicavit de jure populi romani argumentum, quod cum reliqua horum librorum parte intercidit. — Hae igitur leges, quas Cicero proposuit, in universum sumtae erant a vetere romanae civitatis constitutione et moribus [1]), cum nonnulla varietate et temperatione, ut occurreret rerum quae tum in republica erat perturbationi. — Multis inprimis verbis Cicero versatus videtur in instituendo atque efformando principe civitatis, rectore atque moderatore reipublicae. Ad hunc locum spectat quoque plurima pars librorum de Officiis. Primum civitatis rector tenere debet explanationem aequitatis, in qua juris erat interpretatio, qua nihil est regalius [2]). Jure igitur et legibus cognoscendis studere, fontesque earum perspicere debet: nam, si summi juris non peritissimus est, justus esse non potest; nec civilis juris imperitus esse potest [3]). Et quum in civitatibus, in quibus expetunt laudem optimi et decus, ignomi-

1) Legg. II. 10. Et si quae forte a me hodie rogabuntur, quae non sint in nostra republica nec fuerint, tamen erunt fere in more majorum, qui tum ut lex valebat.

2) de Rep. V. 2.

3) de Rep. V. 3. ubi cf. Maj. p. 299.

niam fugiunt ac dedecus, nec vero tam metu poenaque terrentur, quae est constituta legibus, quam verecundia, quam natura homini dedit quasi quendam vituperationis non injustae timorem: necesse est ille rector rerum publicarum hanc verecundiam augeat, opinionibus perfici atque institutis et disciplinis, ut pudor cives non minus a delictis arceat, quam metus [4]. Moderatori reipublicae beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit: hujus operis maximi inter homines atque optimi illum perfectorem statuit Cicero [5]). Princeps civitatis alendus est gloria [6]), et tam diu stat respublica, quamdiu ab omnibus honor principi exhibetur [7]). Quid multa? Vir, qui in administranda civitate versatur, animi perturbationibus et libidinibus vacuus esse debet, atque is est, ut nunquam a se ipso instituendo contemplandoque discedat; ut ad imitationem sui vocet alios; ut sese splendore animi et vitae suae sicut speculum praebeat civibus [8]).

4) de Rep. V. 4.
5) ad Attic. VIII. 11. e libris de Rep. V. c. 16. Maj. p. 301.
6) de Rep. V. 7. ex Augustin. C. D. V, 13.
7) de Rep. V. 7. Maj. p. 302.
8) Haec Cicero hausit e Platon. Rep. IX. p. 588. C. p. 458. Bekk. Cf. ibid. IV. p. 439. B. et Polit. p. 309. D. — Praeclaras etiam de vero politico sententias et praecepta consignavit Cicero in I epistola ad Quintum, fratrem.

EPILOGUS.

Exposita atque explanata tota Ciceronis philosophia, reliquum est, ut, quae superiori disputatione de Cicerone ejusque philosophia uberius a nobis atque fusius exposita sunt, quaeque propositam quaestionem: "An et quomodo M. Tullius Cicero de philosophia ejusque singulis partibus bene meritus sit," quantum in nobis erat, illustrasse videntur, breviter complectamur, atque disputationis praecipua quaedam ac primaria momenta, veluti in tabula, paucis designata lineis exhibeamus.

An Cicero de philosophia ejusque singulis partibus bene meritus sit, in dubitationem atque controversiam omnino vocari nequit. Quo modo autem bene meritus sit, id paucis jam perstringamus. Ac primum quidem, si rite Ciceronis in philosophiam merita dijudicare volumus, gens romana, in qua philosophus noster effloruit, tempora, quibus vixit, philosophiae denique status, qualis apud Romanos ante Ciceronem fuit, diligenter nobis sunt pensitanda. Quod si facimus, Ciceronem reperiemus de philosophia eximie meruisse. Enimvero Cicero omnium Romanorum primus, cunctam Graecorum philosophiam complexus, hanc e Graecia Romam pertulit,

latinis litteris illustravit civibusque suis explicuit, atque omnes illas paene incredibiles quae in hoc negotio perficiendo sibi objectae erant difficultates ingenii animique magnitudine exsuperavit. Latinam linguam, antea ad philosophiae usum minime conformatam, atque rudem incultamque unus ita effinxit atque excoluit, ut ad exprimendas philosophicas notiones atque instituendas cujusque generis philosophicas disquisitiones adhiberi posset. Praeclaro indefessoque suo studio in Romanorum animis philosophiae amorem accendit atque aluit, civesque suos opera ac labore suo non solum doctiores, verum etiam meliores reddere studuit, multorumque Romanorum non solum legendi, sed etiam scribendi studia commovit. Etsi nullum fere philosophiae locum reliquit, quem non latinis litteris illustraret, non perfectam tamen artis quandam disciplinam condidit, neque condere voluit; sed praeclarissima quaeque et ad mores conformandos vitamque melius instituendam saluberrima sapientiae praecepta, romani sermonis splendore exposita, civibus suis cognoscenda proposuit. Atque in eo, quod Cicero philosophiam inter cives induxit propagavitque, omni laudatione sublimior mihi censendus videtur. Haec igitur sunt beneficia, quibus in philosophia Cicero gentem romanam ornavit atque cumulavit: quae tanto splendidiora atque illustriora apparebunt, si

nobiscum reputamus, arduum hoc opus, quod unius mortalis vires atque ingenium longe longeque exsuperare videtur, unius Ciceronis ingenio, industria, labore atque opera et inchoatum et praeclare perfectum esse.

Jam paucis videamus, quantum philosophia ipsa, quantum sequentes aetates atque tempora illius ingenio atque studio debeant. Cicero in philosophia quidem nihil novi invenit; sed ea retractavit, quae jam a graecis philosophis tractata erant. Verum omnes fere ejus libri philosophici et judicii dexteritate, et ingenii acumine et vero imprimis mentis sanitate, et via ac ratione, mira quadam adjuncta urbanitate, festivitate, venustate, atque romanae indolis gravitate, praeclare exsplendescunt. Gravissima sane philosophiae argumenta, veluti de natura deorum, de divinatione, de fato, de finibus bonorum et malorum, de officiis, de republica, de legibus, libris suis illustravit atque persequutus est. In omnibus Ciceronis philosophicis scriptis nobilissimum quod ille, patriae suae amantissimus, atque excelsarum priscorum Romanorum rerum gestarum cogitatione percussus, cepit consilium optimis philosophiae praeceptis dandis majorum virtutes, quae tum sepultae paene videbantur, resuscitandi elucet. Ubinam, quaeso, virtutum splendor in clariore luce ponitur atque efficaciore

laudatione commendatur? Ubi vitiorum deformitas taetrioribus orationis coloribus depingitur? Unde illustriora omnium virtutum vitiorumque exempla, quae, quantus in honestate splendor, quanta in turpitudine deformitas sit, dilucide nobis ob oculos ponunt, haurire licet exempla? Hoc profecto dicimus atque contendimus, si quis libero animo atque ab omni praejudicata opinione vacuo, penitus se totumque in Ciceronis philosophica scripta dederit, eum non solum doctiorem ab hac lectione, verum etiam, quod multo majoris momenti est, meliorem discessurum esse [1]). — Deinde Ciceronis philosophica scripta ab alia parte egregie sese commendant. Enimvero Cicero academicum philosophandi genus, quod sibi ad inquirendam veritatem certissimam munire videbatur viam, sequutus est. Nullius igitur philosophiae disciplinae auctoritate adstrictus principum philosophorum sententias in utramque partem veri reperiendi caussa disserendo examinavit atque excussit, et, in utramque partem ponderatis rei momentis, rationibusque comparatis veritatem vel summam probabilitatem sequendam putavit. E singulis igitur philosophicis disciplinis quodcunque ipsum maxime specie veritatis moveret,

---

1) Egregie hac de re disseruit Ernesti in Dedicat. supra laudata p. LXXIV sq.

libavit atque in usum suum convertit. Ciceronis igitur philosophica scripta ad ingenii acumen, subtilitatem atque vigorem eliciendum, acuendum augendumque censenda sunt aptissima. Ei enim ingenii facultati, quae et primaria est, et omnium prima excoli exercerique debet, in eoque posita est, ut verum et honestum a falso et turpi discernat, in Ciceronis libris optima ad se excolendam atque copiosissima materia est parata. Negari quidem non potest, Ciceronem disputationes suas philosophicas e Graecorum fontibus hausisse; sed graeca non interpretis modo ad verbum in linguam latinam convertit, sed suum ipse iis adjunxit judicium, suum scribendi ordinem, viam rationemque atque orationis lumen. Reputemus nobiscum, quantum ingenii judiciique dexteritatis Cicero probaverit in hauriendis sapientiae praeceptis e graecorum philosophorum monumentis. Nam ex omnibus omnium aetatum graecorum philosophorum disciplinis, ex hac ingenti materiae quasi silva, ea delibavit, quae ad fingendos mores sapientiae praeceptis, et ad omnem vitam conformandam vim omnino habebant saluberrimam. Et, si spectamus, quam studiose vehementerque praestantissima Ciceronis philosophica scripta, inprimis ea, quae moralem doctrinam continent, inde a renatis litteris et ob argumenti praestantiam et ob sermonis suavitatem, per

omnes aetates, omnia tempora, ab omnibus cultioribus populis lectita fuerint, Cicero non solum Romanae gentis, verum etiam multorum aliorum, longa saeculorum serie ab illo distantium populorum et philosophiae omnino et inprimis moralis doctrinae magister atque doctor optimo jure dici haberique potest. Quid? nonne sane quam multa debuit et urbs Roma, et debemus nos Ciceroni, qui philosophiam non solum eloquentiae admovit, sed eandem cum juris civilis atque reipublicae gerendae scientia pulcherrimo vinculo conjunxit, atque ei lucem accendit longe clarissimam [2]). Denique Ciceronis scripta philosophica non solum pro uberrimo atque largissimo, verum etiam purissimo limpidissimoque historiae philosophicae fonte haberi debent. Cicero enim non nudas philosophorum sententias consignavit, sed eorum simul argumenta rationesque addidit [3]). Sic veluti Antiochi Stoici philosophandi rationem, cujus nihil paene sine

2) De hac re tersa atque nitida disputatione exposuit Heur. Constantinus Cras, Lugduno-Batavus, in dissert. juridica, qua specimen jurisprudentiae ciceronianae examinanda Ciceronis oratione pro A. Caecina exhibetur. L. B. ap. Eliam Luzac. 1769. Qui quidem laudat Schultingii Orat. de jurisprud. M. T. Ciceronis. Doleo, mihi haud licuisse Jac. Perizonii orationem de Cic. erudit. et industria oculis usurpare.

3) V. Meiners *verm. phil. Schriften.* T. I. l. c.

illius scriptis notum esset, in Academicis tradidit. Omnino Academiae mediae quasi sospitator praedicari potest Cicero. In quarto et quinto libro de Finibus veteris Academiae, cujus monumenta, exceptis paucis quibusdam fragmentis, iisque satis obscuris, temporis injuria deleta sunt, decreta copiose eleganterque persequutus est. Porro Carneadis subtilissimae disputationes contra Stoicorum de diis et fato sententias Ciceronis industria nobis servatae sunt. Itemque Panaetii aliorumque Stoicorum de officiis sententiae per Ciceronis scripta ad nostram aetatem pervenerunt. Denique multa omnino Stoicorum decreta, etsi sine Ciceronis scriptis haud plane nobis ignotae essent, hujus libris clariore luce illustrari possunt. Quod idem de multis veterum Graeciae philosophorum decretis, uti Epicuri, dicendum est. Ciceronis igitur philosophica scripta, in quibus praeclari illi graecae sapientiae thesauri, quos communicare voluit cum civibus suis, depositi sunt, etiam posteris hominibus materiam et invitamenta ad easdem quas Cicero pertractavit vel similes disputationes tenebricosis istis barbariei temporibus retractandas praebebant, et ingenii quasi servituti sectarumque studio, quod per scholasticam philosophiam omnem liberam ingenii agitationem compedibus veluti constringere videbatur, occurrebant.

Quae quidem omnia si cogitatione nostra complectimur, Ciceronem, praeclarum illud Romae ornamentum, qui in se uno omnes excellentissimas ingenii animique virtutes consociatas habebat, non solum de civibus suis, sed etiam de insequentibus aetatibus, temporibus, gentibus, deque universa philosophia immortaliter esse meritum, clarissime perspiciemus [4]. Et sane est, quod gaudeamus, pulcherrimo divinae providentiae munere divina illius ingenii monumenta; quorum lectione non solum ingenium nostrum optimarum doctrinarum copia et ubertate alere atque augere, verum etiam animum nostrum ad excelsissimas nobilissimasque res atque omnem virtutem fingere atque conformare liceat, plurima certe nobis esse servata.

---

4) M. Ant. Muret. Lib. II. ep. 16. Ac mihi quidem saepenumero in summos homines, quos romana olim resp plurimos protulit, intuenti, aliorumque facta cum aliis quam possum accuratissime conferenti prorsus ita videtur plus uni Ciceroni urbem Romam, quam omnibus, quotquot bellica virtute fines protulerunt imperii, debuisse.

Gottingae, *expressum typis Dieterichianis.*

